Ranke.

De libris historicis Novi Testamenti

Zu

den Schul-Feierlichkeiten,

welche in

dem Königlichen

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

Montag den 1. October d. J.

Statt finden werden,

ladet ehrerbietigst ein

der

Director Ranke.

Voran geht: De libris historicis Novi Testamenti.

Berlin, 1855.

Druck von A. W. Hayn.

DE LIBRIS HISTORICIS

NOVI TESTAMENTI.

SCRIPSIT

ET

LUDOVICO BLANCIO

A. D. III. CAL. OCT. MDCCCLV

AFFINI SUO

DEDICAVIT

C. FERD. RANKE.

De libris historicis Novi Testamenti.

I.

Erat aliquando tempus, quo Novum Testamentum summa Christiani omnes persecuti veneratione nec de toto libro nec de singulis eius partibus nisi verecunde et pudenter loquerentur. Qui quum quae scripta sunt in Novo Testamento omnia instinctu divino afflatuque fusa esse viamque salutis aperire persuasum haberent: non modo in disceptationem ea aut controversiam vocare non audebant, sed vitae ex Jesu Christi Apostolorumque praeceptis emendandae studiosissimi, ita singula quaeque in sinu gremioque gestabant, ut omnis et caussa dubitandi et erroris suspicio abesset. Ac tanta erat plerorumque pietas, ut evangelia et epistolas tamquam fontem omnis veritatis limpidissimum venerabundi ediscerent et si qui impuras manus mentesque his libris admovere conati essent, vel sacrilegorum in numero illos habendos esse arbitrarentur. Nec negare volumus, nonnullos syllabis vocabulisque numeratis et sortibus inde ductis ne a superstitionis quidem perversitate semper cavisse.

Ab hac amoris et reverentiae simplicitate quantum nostra aetate in Germania alieni sumus! Non pauci enim reperiuntur, quos non piget, immemores eorum hominum qui ut meliores innocentiores sanctiores evadant aeternaeque salutis participes fiant, illos libros legere consueverunt, in temporis istius reliquias, a quo novus ordo rerum in orbe terrarum exorditur, omni venerationis specie detracta tam licenter grassari, ut quantum in ipsis est nullum nobis ubi pedem sistere liceat locum relinquant. Imprimis autem eam Novi Testamenti partem critici nostri impugnant, in qua Jesu Christi historia resque Apostolorum enarrantur; cuius partis nihil fere superest omnino, quod non a multis discerptum dilaceratum concisum sit. Neque tamen caussa est, cur propterea arti criticae per se gravissimae maximeque necessariae irascamur, quippe quam in veris historiae fontibus indagandis nostro saeculo longe rectius ac feliciore successu quam antea factitatam plurima praestitisse noverimus. Huius enim artis beneficio effectum est, ut libri saepissime

antea et ab omnibus usurpati nunc vitiis eorum cognitis e manibus hominum evanuerint, aliique contra utilissimi, antea oblivione obruti, his temporibus omnium in ore ac sermone versentur. Etenim nonne hac arte duce jam eo pervenimus, ut nullius soleat populi aut viri historia a quoquam nostra aetate nisi accurate et conquisitis et indicatis fontibus suscipi? Neque a Novo Testamento arti criticae abstinendum esse dicimus, quod si genuinum est et divinae gratiae opus, de qua re non dubitamus, facile poterit omnes adversariorum impetus sustinere suoque pondere efficere, ut perversae hominum opiniones omnes pereant et veritas nuda et immaculata emergat. At vero severissima illius praecepta non impune aut negliguntur aut ignorantur. Ac mihi quidem nostrae aetatis critici duabus potissimum de caussis haud raro erroribus implicari videntur, primum, quia nova et inaudita dicendi studio seducti coniecturis iisque non ex intimo artis recessu haustis sed incertissimis nimium indulgent; deinde quod rebus externis nimiam vim tribuunt.

Ars autem critica, quae hoc nomine vere digna est, priusquam iudicare de libris historicis audeat, accuratissimam rerum hominumque cognitionem sibi parat et a periculoso coniiciendi cupiditate se liberat. Audaciae illa temeritatisque non est, sed modestiae potius sanique iudicii filia, et ut credulitatis socordiaeque et inertiae probrum maxime abominatur, ita vera cum sapientia consociari cupit. Ac profecto tales quoque criticos doctrina evangelica, ex quo tempore lux eius orta est, non paucos produxit, qui ad restituenda et ab omni labe corruptionis liberanda Christianae historiae monumenta, remotissima ex antiquitate nobis tradita, summam et diligentiam suam et animi sagacitatem contulerunt. Nec nostra aetate defuerunt praeclara quae summo amore complectaris et imiteris exempla, ut quae Augustus Neander vir desideratissimus pie eruditeque scripsit, sed tot sunt erroris viae patefactae, ut vix quisquam eas evitare et effugere possit. Quare si ipse quoque quum ad haec studia accedere ausus sim, licet veri inveniendi cupidus fuerim, tamen multa peccaverim non mirabor, sed opto vehementer ut a iudicibus strenuis meliora edocear, ideoque ea quantulacunque sunt publici iuris feci.

II.

De historicis libris quicumque recte iudicare voluerit, primum artis historicae difficultatem animum advertat necesse est, ne nimis acriter ac severe eos perstringat, qui hoc in negotio non ab omni parte satisfecere. Quae quidem tanta est, ut historiae scribendae consuetudo, licet ex summa antiquitate ad nos perlata sit, tamen omnibus aetatibus ut ratione perquam dispari, ita eventu longe diversissimo exerceatur. Etenim nonne, si verum fateri volumus, paucissima sunt nomina virorum, qui arte historica recte usi, immortalem sibi gloriam pepererunt? iique ipsi nonne in multiplicem reprehensionem incucurrerunt singulisque in rebus enarrandis totaque

in operis conformatione a peccatis nulla omnino ratione se liberos praestare potuerunt? Atque aequales nostri, qui historiarum libros edunt, nonne raro rationem plurimis probabilem inveniunt?

Duplex autem imprimis historici quum sibi proponere opus possint, ut aut in praeteritis potissimum rebus indagandis et referendis versentur, aut quae sive ipsorum aetate sive ipsis evenerunt, in posteritatis usum memoriae mandent, quod quidem proprie historiae nomine appellari solet: horum utrum difficilius sit, vix satis certe dici potest. Jam enim quod primum est historici officium, ut vera dicat, id unum magnis difficultatibus laborat. Quovis die enim discere possumus, vel minimas res sub nostris oculis gestas, si quando in sermonem hominum transierint, longe aliter ac vere gestae fuerint enarrari. Pauci enim auribus et oculis recte utuntur: pauci nihil de suis addunt, nec quae non accurate sciunt cum aliis communicare verentur; pauci denique narrandi facultate tali pollent, ut eos qui ipsorum verba audiunt vel legunt ab omni errore tutos reddant.

His autem similibusque rebus missis duo potissimum scriptoribus rerum eadem aestate gestarum, si nihil nisi certa volunt et vera dicere, se offerunt impedimenta. Ut enim omnia quae hodie geruntur recte intelligamus, saepe ne tum quidem facile efficimus, si ipsi rebus gerendis interfuimus, quoniam qui publice agunt occultas saepe machinationes insidiasque ad homines circumveniendos admittunt, hisque adiuti in fraudem alios inducunt. Longius igitur, ut videtur, temporis spatium aliquod praeterlapsum sit necesse est, quo peracto demum et quae praecesserint et quae sequantur perspiciamus. Deinde vero nihil rarius est in orbe terrarum, quam homines invenire, qui omnem irae et studii culpam fugiant. Sunt enim omnibus temporibus factiones, quarum a falsis perversisque opinionibus non facile seiungimur. Quamquam id ipsum nostra aetate didicimus, etiam in rebus longissime a nobis remotis non ab omni partium studio historicos liberos fuisse, nec adeo multos reperiri libros ab aequalibus profectos, quos sine erroris periculo pertractare liceat.

Accedunt vero multae aliae difficultatis caussae, quas enumerare longum est. Memoria enim hominum saepe infirmior minusque est earum quibus ipsi interfuimus rerum tenax, ideoque celeriter evanescere eas sinit. Hinc saepenumero si nobis ipsi res anteactas in memoriam revocamus, ut recte singula quaeque enarrare liceat, multorum hominum auxilio egemus. Atque ea quidem, quae momenti minoris sunt, quo die nati homines sint ant mortui et similia facilius retinentur: sed quid animus voluerit, quid cogitaverimus, quid dixerimus, repetere saepe difficillimum est, nisi certa temporum monumenta exstiterint, ex quibus singula hauriamus. Nec negligere debemus, nos non esse semper nostri similes, ut nobis res longe alias, quam quae gestae sunt, fingamus, ita ut non raro quae homines aetate provectiores de se suaque vita composuerint, multis partibus falsa esse appareat.

His consideratis, si ad Novum Testamentum animum convertimus, quae in eo de Jesu Christo et Apostolis enarrata sunt, ad hoc genus pertinent, quod proprie historicum dicitur. Recte enim Evangelia a Justino Ἀπομνημονεύματα dicta sunt, nec prior pars Actorum est diversa. Johannes baptista, Jesus, Apostolique hac in historia se excipiunt, publiceque doctores Israëlitici prodierunt, qui quidem omnes non in scribendo, sed in docendo et agendo occupati nihil relinquere studebant, nisi fidelium discipulorum multitudinem, qui et meminissent rerum omnium a praeceptoribus gestarum et eas aliis enarrare et referre possent. Jam qui Jesu comites fuerant, ea quae viderant et audierant memoriae tradiderunt, idque eo magis, quo intentius omnem operam ac laborem ut totius vitae conformatione sua exemplum sibi propositum imitarentur et aequarent contulerunt. Jam a primis autem diebus res a Jesu perfectae quoniam inusitatae et inconsuetae erant, eiusque dicta sententiosa nova omnia et inaudita, saepe repeti et aliis referri solebant; idemque postea, quum Apostoli docere coepissent, his evenit. Praeterea vero Jesus multa fecit, ut quae dixisset et fecisset, facile memoriae inhaererent. Ipsa enim ratio rerum ab eo traditarum illud efficere poterat, quoniam res novae per se facilius retinentur. Deinde non raro monuit, esse aliquid menti summa cura tradendum. Ac singula verba memoriae inhaesisse, ex Johannis narratione apparet in fine Evangelii adiecta. Patet autem, ipsa regionum locorumque, in quibus res omnes actae fuerant, opportunitate prohibitos fuisse Apostolos quominus obrui eas paterentur. Nam talia facile nos admonent. Ac per totam Galilaeam, Samariam, Judaeam saepius peregrinatus fuerat, diversisque in locis miracula fecerat. Hinc illud est explicandum, quod in Evangeliis et Actis Apostolorum urbium nomina, vicorum, montium, Iordanis tam saepe commemorantur, multo autem minus habetur temporum ratio, nisi ubi plura quoniam simul gesta sunt, eadem in narratione iuncta reperiuntur.

Dici igitur potest, si quando difficultas superari potuerit, quae in rebus gestis vere enarrandis ubique cernitur, hoc in Jesu Christi historia exspectandum fuisse. Accedit, quod is ex quo primum prodiit, semper erat a parte discipulorum, vel ab omnibus duodecim circumdatus, qui quum spem alerent, fore ut omnium animos magister celeriter in se converteret deique regnum primum inter Israëlitas, deinde inter ceteros restitueret, omnia intento animo et audire et contemplari solebant. Hinc alter alterum adiuvare poterant: plerumque enim iuncti incedere solebant ac soli raro muneri alicui satisfaciebant. Nec metuendum erat, ne factionum studio quidquam essent suscepturi, quia Jesus, quem unum venerabantur, omnem singulorum superbiam represserat eumque ceteris praeferendum esse docuerat, qui ad regnum dei firmandum plurima mala perpessus fuisset.

Jam vero si totam Jesu Christi vitam contemplamur, et quomodo optime ea describi potuerit, quaerimus, opus hoc difficillimum fuisse per se patet. Tanta enim erat rerum gestarum multitudo et gravitas, ut verissime Johannes dixerit,

XXI. 21.: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἕν, οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. Acta diurna scripta non sunt, nec scribi potuerunt, quia media in vita Jesus versabatur; nihil igitur restabat, nisi ut singula atque ea imprimis, e quibus luce clarius cognosci poterat, Jesum Messiam esse, eligerentur eaque certo ordine veterumque annalium more sine multis ornamentis perscriberentur. Quam ad rem recte instituendam iusta erat praeparatio in eo posita, quod Apostoli primum, deinde horum discipuli Jesu vitam, doctrinam ac praecepta iis tradere cogebantur, si quos ad Christum vellent perducere. Sed quoniam Apostoli Aramaica dialecto utebantur et initio quidem cum Judaeis plerumque colloqui solebant, hac via non tam graece, quam aramaice scriptum Evangelium nasceretur necesse erat, idque vere exstitisse antiquitus, a pluribus veterum docemur. Jam vero quum multi ista aetate Graeci cum Judaeis viverent eorumque sacra sequerentur, adeo priusquam ipsi gentiles omnes Mosaica lege sublata ad Christum vocarentur, necessitas exorta est, Graeca lingua in Christo praedicando utendi. Ita ad discipulos Apostolorum haec res venit, inter quos primus Marcus Petri ἑρμηνευτής vocatur. Graecae autem linguae hac ratione contigit, ut postquam mille per annos floruerat et plurimis poetis et scriptoribus immortalem nacta erat gloriam, Christianae etiam doctrinae inserviret ipsamque veritatem hominibus patefaceret. Atque si Atticam elegantiam in Novo Testamento frustra quaerimus, quoniam qui Judaei Graece scribere cogebantur, suam ipsorum naturam in Graecorum lingua prae se tulerunt, contra qui Graecorum ex numero commentarios de Jesu vita scribere conati sunt, ipsa ex hac re multa peregrina acceperunt: tamen hi quoque libri peculiari sua pulchritudine et virtute splendent. Id ipsum autem hos scriptores Novi Testamenti historicos legentibus semper tenendum est, omnes narrationes ex aramaica lingua in graecam translatas esse.

Ceterum inter Jesu et Apostolorum historiam magnum discrimen erat. Illa enim finita erat: hanc qui enarrare suscipiebat, medio in rerum decursu incertus, quem finem omnia habitura essent, singula quidem perscribere, quod autem requiritur, ut liber historicus commodum exitum habeat, id quidem efficere non potuit. Hinc duorum Lucae librorum diversa est ratio; prior enim exordio et epilogo ornatus est, posterior prooemio quidem non caret, sed media in narratione praeter exspectationem subito desinit.

III.

Ut litteras omnes sensim nec sine continuatis hominum curis et laboribus excoli videmus, ita etiam in historia certi cujusdam temporis scribenda non ab uno homine omnia perfici possunt, sed pedetentim aluntur, pubescunt maturitatemque assequuntur.

Verum quidem est, Thucydidem et Caesarem bellorum gestorum historiam

non sine ea perfectione, quae omnibus posterioribus temporibus exemplo fuerit, primos composuisse. Sed ille procul a republica gerenda praeter voluntatem remotus huic uni rei totum animum tradidit, nec tamen libro suo, morte praematura impeditus, eum quem optabat finem adiunxit. Quantum autem laborem operi suo impenderit, et ipse confessus est et legentibus primo obtutu oculorum intelligitur. Caesar vero, vir summae in omnibus conatibus celeritatis, commentarios scripsit, non historiam composuit, ut alii scriptores haberent quod ornarent, sed quum scribendi ratione emendatissima usus omnibus spem meliora proferendi eripuisset, solus relictus est. Verum et in his libris non pauca inveniuntur, quae valde nec iniuria reprehensa sunt, nec tam feliciter fortasse res cessisset, nisi bella enarrassent, quae per aliquot annos certum decursum habuerunt. Quo enim plura opus aliquod continet, ut si Thucydides Athenarum, Romae historiam Caesar scribendam sibi elegissent, hoc difficilior est conatus, eoque certius dici potest, non unum facile oneri huic suscepto satisfacturum esse. Solet igitur ita fieri, ut diversi homines easdem res suscipiant, donec unus aliquis ingenii robore et adiumentorum copia adiutus rei ipsi satisfecisse videatur.

In Actis autem Apostolorum diiudicandis plerique immemores fuerunt, quod iis argumentum est propositum a nullo alio quantum scimus antea tractatum. Quod si verum est, — coniecturas enim de libellis antea editis incertas esse, quis non vidit, qui si exstitissent, singulae fuissent narrationes, non liber unus, qui haec omnia comprehendisset — quis non condonaturus huic scriptori esset, si non omnia plene et perfecte perfecisset? Quicumque enim primus tale quid suscipit, ejus opus animo gratissimo excipiendum erit.

Aliter iudicandum est de quattuor quae supersunt Evangeliis, quae si accurate singula contemplati fuerimus et inter se comparaverimus, qua ratione sensim Christi historia perfectius enarrata fuerit, nisi equidem fallor, invenire poterimus. Etsi enim omnes hi libri praeclari sunt suaque virtute unusquisque excellit, tamen ut quod verum mihi videtur disertis verbis pronuntiem, si viam quam ingressi sumus, persequimur et artis historicae leges consulimus, magnum inter eos discrimen detegemus. Unus enim Johannes artis vestigia monstrat reliquisque tribus longissimo intervallo antecedit, isque si famae recte confidimus, omnium postremus fuit, qui ad Jesu vitam scribendam sese accinxit. Sed ad hanc caussam postea transibimus, nunc de tribus evangeliis Matthaei, Marci, Lucae disputaturi, quae ipsa progressum artis de quo loquor prae se ferunt.

Constat autem, tres Evangelistas priores omnia, quae prodiderint, narrationibus debere, quales in ore et sermone Christianorum illo tempore circumlata fuerint. Apostoli enim ut testes ipsius essent a Christo docti eruditique, huic muneri suo se non subtraxere, sed initio a morte et resurrectione facto, in quibus doctrina Christianorum maxime nititur, omnia quae vidissent et audiissent sensim referre

consueverant. Jam quis scribendi initium fecerit, primumque librum historiarum inter Christianos ediderit, ignotum est. Monendum autem est cum Godofredo Hermanno, esse etiam nesciendi quandam artem concedendumque, nostrum neminem coniectura assecuturum esse, qualis primus liber fuerit, ex quo reliqui sua hauserint. Id autem veri simillimum mihi esse videtur, aramaicum exemplum prius quam Graeca nostra vel simul cum eo extitisse. Hoc unum vero liquet, tantam esse similitudinem trium Evangeliorum, ut ea non possit nisi ex usu librorum scriptorum explicari. Qui enim novit, quam diversis rationibus una eademque historia narrari queat, si nostra evangelia perlegerit confitebitur, ea inter se tam arcte cohaerere, ut in summis miraculis res esset ponenda, nisi libri scripti exstitissent, e quibus singuli narrationes suas haurire potuissent. Ea igitur prorsus repudianda videtur opinio, si quibus visa est similitudo inde nata esse, quod ab iisdem Apostolis eas eodem modo proditas audiissent. Videor igitur mihi in tribus Evangeliis nostris tres quodammodo eiusdem libri editiones, factas illas a diversis hominibus et ut in dies plura ac certiora de vita Jesu Christi revelarentur vulgatas in manibus habere; ecclesiaeque Christianorum veteri maximam habendam agendamque esse gratiam puto, quod nobis omnes reliquit, eaque ratione quattuor Evangeliis servatis et rei initia et summam perfectionem monstrare voluit.

Ac primum quidem patere mihi videtur, Marci Evangelium inter ea, quae possidemus, antiquissimo exemplo simillimum fuisse. Respondet enim illud brevi Petri narrationi, quae in prima eius oratione, qualis in Actis Apostolorum reperitur, inest: *Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, ἀκούσατε τοὺς λόγους τούτους· Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, ἄνδρα ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, — τοῦτον — διὰ χειρῶν ἀνόμων προςπήξαντες ἀνείλατε, ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε* II. 22—25. unde, quid potissimum Apostoli cum discipulis suis communicaverint cognoscimus. Pauca enim de Johanne baptista praefatus, quae utrum vere a Marco praemissa fuerint necne dubitatur, ad Jesu miracula et mortem et resurrectionem tradenda transit. Accedit Papiae testimonium: *Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος ὅσα ἐμνημόνευσεν ἀκριβῶς ἔγραψεν οὐ μέντοι τάξει τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα· οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ κυρίου οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ· ὕστερον δὲ, ὡς ἔφην, Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας, ἀλλ' οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λόγων. ὥστε οὐδὲν ἥμαρτε Μάρκος, οὕτως ἔνια γράψας ὡς ἀπεμνημόνευσεν· ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν ἢ ψεύσασθαί τι ἐν αὐτοῖς.* — quod multis de caussis maximi habendum est. Ex hoc enim colligitur, Marco auctore, quae Petrus aramaica dialecto usus Judaeis tradere solitus fuerit, Graeca lingua in Graecorum usum primum vulgata esse, ita ut huius viri manum in rebus ceteris ab Evangelistis eadem ratione enarratis agnoscere cogamur. Quae autem de operis indole ait, quantum ea intelligimus, cum nostro exemplo conveniunt, praesertim si vocem *λόγων* non de longioribus orationibus, sed de dictis Jesu universe interpretamur.

Ea tamen omnia pro dubiis haberi possunt: certiora ex ipsa Evangeliorum comparatione cognoscuntur.

Ac Papias quidem certum ordinem a Marco non esse servatum queritur. Jam si nostrum Evangelium evolvimus, pars eius ad mortis et resurrectionis historiam pertinet et ut necessarium erat in fine evangelii cap. XIV — XVI. exstat, pars antecedens vero vitae decursus qualis fuerit docet cap. I—XIII., eaque ita instituta est, ut primum de rebus inter Galilaeos I 14 — IX 50, deinde in itinere Hierosolymas suscepto, X 1 — 52, denique in ipsa urbe gestis deinceps exponat. Quae quidem cum Johannis evangelio comparata Papiae reprehensionem iustam esse neque temporis rationes accurate servatas esse ostendunt. Non enim primum in Galilaea, deinde in urbe Jesus cum discipulis fuit eosque et populum docuit, sed urbem jam initio et postea pluries adiit.

Si vera sunt, quae Papias docuit, singulas narrationes a Petro auditas et ex eius ore exceptas Marcus complexus est. Jam hunc nostrum librum si consulere licet, optima auctori, ut consilium suum assequeretur, via visa est, si quae iisdem in regionibus gestae essent inter se conjungeret, idque, si verisimilia antea equidem prodidi, propterea, quod hoc facillime fieri poterat. Neque tamen negari potest, quamquam Jesus per priores annos non in Galilaea sola fuerit, tamen plurimum temporis eum in istis regionibus, ac raro tantum et per breve tempus in urbe commoratum esse. Hinc evenit, ut non obscura etiam temporum diversorum vestigia reperiantur. Eo pertinent vaticinia quae Jesus de morte sua iam in Galilaea, IX, 30 — 32, deinde iterum in itinere X, 32 — 34, tertio loco Hierosolymis de urbis interitu suoque reditu XIII., et spiritus sancti patrocinio prodidit. Nec praeteriri possunt prima Pharisaeorum et Herodianorum de Jesu accusando et interimendo consilia XIII, 2. 6, quae sensim augentur, donec Hierosolymis ei captiosae quaestiones plurimae proponantur, et ultima mortis historia. Accedit quod de Apostolis dicitur, quorum primi quattuor I, 16., deinde Levis II, 13., nominantur, tum duodecim eliguntur III. 13. primamque legationem suscipiunt VI, 7. sqq. et Christum Messiam esse interprete Petro profitentur VIII, 27.

Jam ad Matthaeum transeuntibus eiusque Evangelium perscrutantibus statim patet, universe quidem hunc eundem ordinem esse servatum. Nam primum Jesus in Galilaea docet IV, 12. — XVIII, 35., deinde transit, ut Marcus et Matthaeus iisdem verbis perhibent, *εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας* XIX, 1 — XX, 34., tum urbi appropinquat, XXI, 1., eam ingreditur, capitur et interficitur. Nec desunt singula illa quae praeterea adnotavi certi ordinis vestigia; primum quatuor Apostoli vocantur, IV, 18, deinde Levis, hoc loco Matthaeus appellatus, IX, 9, tum duodecim legatio sequitur Apostolorum X, 1. sqq., tum Petro duce professio Messiae, XVI, 13. Eademque est in morte adnuntianda et adversariorum calumniis insidiis quaestionibus rerum series. Haec qui contemplatus fuerit ordinem rerum traditarum tam gravem sanctumque visum esse

Matthaeo, ut eum immutare non conaretur, sed magnam ei auctoritatem tribueret, intelligit.

In singulis vero addere multa, demere et alia ratione digerere ausus est. Ac plurimis quidem additamentis in priore parte evangelium suum ornavit: in sequentibus pauca tantummodo adiecit et aliter instituit. In Marci Evangelio Jesus postquam Hierosolyma intravit et templum adiit, Bethaniam redierat et crastino die quum iterum in urbem se conferret, ficum quam sine fructibus repererat diris devovisse, deinde tabernarios et mensarios ex templo expulisse, et tertio die arborem istam emortuam vidisse dicitur, cf. XI, 11—22. Apud Matthaeum eadem fere sed alia ratione narrantur. Statim enim post solennem in urbem ingressum Jesus mercatores ex templo expellit, deinde Bethaniam redit et die crastino ficum reperit efficitque ut subito illa exarescat. Eadem igitur in his religio non animadvertitur.

Aliae mutationes maioris sunt momenti. Additi enim primum sunt per totum librum veteris Testamenti loci, qui vaticinia continent. In ipsa illa narratione de solenni in urbem ingressu Marcus dixerat **XI**, 3.: *καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ· τί ποιεῖτε τοῦτο; εἴπατε ὅτι ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει· καὶ εὐθέως αὐτὸν ἀποστέλλει ὧδε. Ἀπῆλθον δὲ καὶ εὗρον πῶλον δεδεμένον πρὸς τὴν θύραν ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου.* Matthaeus vero haec exhibet **XXI**, 3.: *καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι, ἐρεῖτε, ὅτι ὁ κύριος αὐτῶν χρείαν ἔχει· εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς. Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, λέγοντος· Εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών· κτλ. — πορευθέντες δὲ οἱ μαθηταὶ καὶ ποιήσαντες καθὼς προσέταξεν αὐτοῖς ὁ Ιησοῦς κτλ.*" Sed ibi quoque res mutata est; Matthaeus enim *ὄνον καὶ πῶλον* commemorat, ut est in vaticinio.

Quae quidem vestigia si persequimur, Matthaeus quae cum Marco ei sunt communia, mutuatus ab illo multis additamentis ex ipsius aliorumque memoria haustis auxit et alteram eamque pleniorem eiusdem libri editionem paravit. Neque obscurum est, quid necessarium esse putaverit. Naturae enim rerum convenit, quod qui primus, quae de vita Jesu nota erant, colligere suscipiebat, ad ea simpliciter animum convertebat, quae Jesus fecisset, quosque sermones cum discipulis habuisset. Nactus igitur Matthaeus Marci commentarios librum Evangelio Marci simillimum edidit, pleraque retinuit, pauca quaedam, quae paullo aliter gesta esse meminerat, mutavit, quaeque nondum ille tetigerat, addidit: simul vero ad doctrinam Jesu transiit eamque inserere conatus novum paene librum fecit orationibus Christi et parabolis adiectis longe eminentiorem. Opus igitur utilissimum ille suscepisse putandus est.

Ecclesia enim Christiana quum cresceret, quoniam novae quaestiones proponebantur, de quibus ad Christi auctoritatem, ubicunque fieri posset, lubentissime provocabant, magna colligendi ea, quae Jesus dixisset, cupiditas nascebatur. Imprimis autem quid de vetere testamento censuisset, indagandum erat. Propterea Christi ipsius exemplum et praecepta secutus locos ex vetere testamento petitos

inseruit. Nam ea omnia ad Christum referri debere, qui ipse quae Vetus Testamentum de Messia dixerat, suae vitae eventu comprobata et rata facta esse monstraverit, negari nequit. Simul vero et orationes longiores et parabolas plurimas ad docendos Christianos aptissimas, quae aut ipsius aut aliorum ex relatione noverat, nobis tradendas curavit.

De singulis pauca tantummodo addam. In rebus de vita externa proditis ea imprimis maximi sunt momenti, quae de Jesu genealogia et ortu, de magorum adventu, fuga in Aegyptum, reditu in patriam urbem narrantur, quae ipsa quoque quid posteriores Christiani cognoscere desideraverint, docent. Sed sunt praeterea per totum librum nonnulla additamenta obvia, quae facile discernas. Statim ab initio enim domicilium Jesu in Capernaum urbem translatum esse dicit idque ex vetere Testamento confirmat IV, 13 (cf. Marc. II, 14). Postea narrationem de statere in ore piscis reperto XVII, 24—27, de homine caeco et de muto sanatis, IX, 27, quibus allatis similia quae Marcus VII, 32—37. VIII, 22—26 narraverat omisit. Praeterea in narratione de morte et resurrectione plura et mutavit et adiunxit.

In ea vero parte quae ad doctrinam pertinet, nova seiungimus facile, et qua ratione ea similibus addiderit, intelligimus. Ita ubi Marcus dixerat: *καὶ ἐξεπλήσσοντο καὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ· ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς* I, 22, ea verba Matthaeus non repetiit, cf. VII, 28, 29, nisi oratione montana praemissa, ex qua quales eae orationes fuissent, quibus totus populus tam vehementer commotus esset, intelligeretur. Deinde ubi Marcus dictum Jesu rettulit: *πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι, ἔσχατοι· καὶ ἔσχατοι πρῶτοι* X, 31, Matthaeus hoc ipsum posuit, sed addita parabola XX, 1 explicavit eaque ipsa verba parabolae in fine iterum collocavit, 16. Tum ubi interrogatus Jesus fuerat, qua potestate sibi data ageret, neque certi quidquam Pharisaeis responderat: omnibus, quae Marcus dixerat, accurate repetitis cf. XI, 33, pergit Matthaeus et parabolam adiicit XXI, 28. Jam si Marcus pergit: *καὶ ἤρξατο αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς λέγειν,* XII, 1, Matthaeus Jesum dicentem facit: *Ἄλλην παραβολὴν ἀκούσατε,* eandemque, quam Marcus proposuit, adiicit, quae quum finita fuerit, Marcus ait: *καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι, καὶ ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον· ἔγνωσαν γάρ, ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπε καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον* XII, 12; Matthaeus vero, *καὶ ἀκούσαντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι τὴν παραβολὴν αὐτοῦ ἔγνωσαν, ὅτι περὶ αὐτῶν λέγει. Καὶ ζητοῦντες αὐτὸν κρατῆσαι, ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον· ἐπειδὴ ὡς προφήτην εἶχον,* XXI, 45, 46, ac statim pergit: *Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς πάλιν εἶπεν αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς λέγων,* XXII, 1, quae additamentorum indolem tam aperte prae se ferunt, ut dubitare nemo queat.

Accedimus ad Evangelium Lucae, quod si ab exordio incipientes perlegimus, toto coelo et a Matthaeo differre et a Marco videmus. Is enim scriptor non solum de consilio suo fontibusque exposuit, librumque suum amico dedicavit, quod utrumque illorum temporum e consuetudine hauserat, sed peculiari quadam narrandi fa-

cultate usus, quae in oratione hominum sensibus ac mentibus accommodata cernitur, tanta gravitate simul et iucunditate omnia explicat, ut mirifice nos in amorem et scriptoris et rei enarratae abreptos sentiamus. Jam Matthaeus si Christi origines tradendas esse viderat, Lucas longius etiam regressus Johannis quoque patrem matremque nominavit, iisque quomodo a deo dono datus esset prodidit, longe diversos a Matthaeo nactus auctores, quos Mariae narrationibus sua debere coniicias. Atque ipsa res postulare hoc videbatur, neque a primae ecclesiae initio Apostoli Johannis baptistae immemores fuere, cuius in regno Dei praeparando vis maxima fuerat. Ac si coniecturae his in rebus locus est, quod in Actis Apostolorum de Johannis discipulis narratur, XVIII, 24 sqq. XIX, 1 sqq., nonne Paulum et Lucam denuo admonere poterat, ut de Johanne certiora et accuratiora narrare perquam necessarium esse intelligerent? Quae, quomodocunque explicanda sunt, — quis enim nostra aetate cur singula Evangelistae aut addiderint aliquid aut omiserint, detegat? — quae de Johanne compererat, ea Lucas commentariis suis ita inseruit, ut primo iam introitu legentes Johannis cognitionem sibi pararent, quam quum viam ingredi sibi proposuisset, mutare omnia coactus erat. Simul vero ille temporum curam maiorem habuit, docuitque quando Johannes prodiisset et quot annos natus Jesus, quum docere inciperet, fuisset: ita vero, ut quae Matthaeus de iisdem rebus dixerat omnia negligeret. Utriusque igitur Evangelistae consilium idem fere est, enarratio vero ab omni parte diversa.

Jam vero si pergimus, subito omnia mutantur: orationis gravitas desinit, ac tenuis ille sermo apparet, quem ex Marci Evangelio cognoscimus, et simul cum eo Marci fere de rebus gestis dictisque Jesu Christi narratio.

Eadem enim est universi operis conformatio, quam in Marci Matthaeique libris observavimus; incipit a Galilaea, IV, 14 sqq., transit ad iter in Hierosolyma susceptum, XIII, 15, in fine Jesu exitum enarrat. Sed id quod interpretibus plerisque totam hanc caussam obscuravit, Lucas, quamquam veteri fundamento ipse quoque innixus viam a Marco initam non reliquit, in colligendis tamen Jesu Christi dictis factisque novas copias praeclaras invenit libroque antiquissimo superstruxit. Non quaero de fontibus, quibus usus sit, quia nisi nova subsidia ex antiquitate ecclesiae Christianae reperta fuerint, vix praeter coniecturas incertas aliquid inveniri poterit, sed quae nobiscum communicavit contemplor.

Hucusque semper iter Hierosolymitanum ab ipso ingressu in urbem seiunximus, sed si comparamus haec tria Evangelia inter se, imprimis ex Lucae narratione ea omnia ultimam partem eorum librorum complecti et arctissime cum historia postremorum Jesu dierum coniungi debere intelligimus. Is enim a capite XVIII, 25 usque ad finem cum reliquis universe ita consentit, ut nihil nisi pleniorem narrationem reddere voluisse appareat. Ac cohaerere haec omnia Johannes etiam ostendit, qui quae in itinere in Lazari domo facta sint, in consilium Judae-

orum, Jesum interimendi maximam vim exercuisse perhibet, XI, 47. Quamdiu enim Jesus saepius in Galilaea et Samaria commorabatur, tam procul ab Hierosolymis remotus esse videri poterat, ut non magnopere eum timerent. Ut vero venit, urbem intravit, templi sanctitatem restituit, multaque fecit miracula et cum plurimis Sadducaeorum et Pharisaeorum feliciter disputavit, ad festinandum coactos se videbant, nec Judam proditorem repudiabant.

Hanc igitur partem Lucas intactam fere reliquit nisi quod singula, ut praeclaram de discipulis Emmauntem proficiscentibus narrationem, XXIV, 13 sqq., quae indolem et naturam exordii prae se fert, addidit; sed quae praeterea reppererat, inter utramque partem inseruit, IX, 51—XVIII, 14. Nec immerito, quia ea omnia Hierosolyma urbem non attingebant.

Ubi igitur Marcus alteram partem aggreditur, X, 1, iterque *εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας* susceptum enarrat, Lucas nondum eum sequitur, sed his verbis usus: *Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ καὶ αὐτὸς τὸ πρόςωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ*, quae memoratu dignissima sunt ostendit, se ex ultimis temporibus, quibus Jesus urbi interdum appropinquaverit, nonnulla proditurum esse. Quod si sumimus, ea parte absoluta, qua priores anni continentur, posterior sequitur, quam praecedentes Evangelistae fere neglexerant, Lucas unus novit accuratius.

Jam quum hac in parte Lucas ea comprehendat, quae ad Hierosolymitanum iter et ultima vitae tempora pertinent, non mirum est, quod hoc ipso in loco iam proposuit quae Bethaniae gesta esse ex Johannis libro cognovimus, X, 38. Quoniam autem pluries iter illud antea, XIII, 22, XVII, 11, significaverat, quo loco ad ea redibat quae Marci in Evangelio jam maxima ex parte prodita erant, quae ibi transitum parabant, abiicere poterat neque ulla ratione sese ex fontibus diversis hausisse docuit.

Exspectari autem omnino potest, eum qui multa nova quae adderet repererat, non posse, licet universam rerum seriem retineat, singula quaeque intacta relinquere. Neque id Lucas fecit. Non autem est difficile, ea quae ipse primus narraverit, ab iis secernere, quae aliunde mutuatus est, quia propria orationis ejus est indoles, quae ornamenta non omnia repudiavit: quod intelligent, quicunque praeter eas partes, quas jam tetigimus, nonnullas parabolas a Luca solo enarratas perlegerit, magna arte insignes. Habemus autem argumentum certissimum, Lucam in vita Christi singulatim explicanda non tam ut coeperat temporum, quam locorum diversitatis rationem habuisse. Quae enim de Nazarethanis Jesum spernentibus et Matthaeus, XIII, 53, et Marcus, VI, 1, suo loco narraverunt, ea Lucas statim ab initio posuit, nisi fallor, ut ab eodem loco de quo in praecedentibus iam multa dixerat, quemque Jesus reliquit, ut Capernaumi cum suis versari inciperet. Nec ab eo consilio retrahi propterea se passus est, quod quae ad posteriora tempora pertinent, commemorantur. Quare melius fortasse Lucas rem ita instituisset, ut vetus illud

fundamentum, quod ex Marco quale fuerit novimus, non solum in tota compositione sed in singulis etiam jam propositis narrationibus immutatum retinuisset.

Quidquid id est, Marci Evangelium inter ea, quae possidemus illud esse visum est, quod antiquissimae Evangelii; formae maxime respondet. Huic Lucas et Matthaeus, peculiari ratione uterque usi, suos libros superstruxerunt, quorum labore et contentione profecto magna praestita sunt; secutus postea est Johannes vitaque Jesu denuo pertractata viaque Evangelistarum praecedentium relicta ad summam omnia perfectionem adduxit.

IV.

Discrimen est inter historiam sacram et profanam, quarum altera a Graecis, altera a Judaeis exculta est. Illius summus magister Thucydides fuit, hujus stator et auctor, longe antiquior, Moses. Quum autem duae res potissimum exstent, in quibus ars aliqua conspici possit, argumentum et forma, haec quidem utrisque fere communis, illud vero ab omni parte diversum est, nisi quod in forma quoque sacra història Catonis magis quam Ciceronis a partibus stabit, et vigorem magis quam florem sequetur orationis. Jam quae sit summa in argumento tractando diversitas, paucis explicare conabimur.

Historia enarrat, quae ab hominibus gesta sunt, sive illi singuli fuerint, sive cum aliis juncti. Jam vero duplex fuit in orbe terrarum antiquitus de his rebus cogitandi ratio, quatenus homines aut ipsi omnia gerere sibi videntur, aut ubique a divino numine adjutos se sentiunt, ut quae sibi aut feliciter aut infeliciter cesserint, ea omnia ad deum tanquam ad auctorem primarium referre soleant. Jam profana historia ea dici potest, qua dei divinarumque rerum ratione fere nulla habita ita referuntur omnia, tanquam de solis hominibus cogitandum sit, liberis illis in agendo nec religioni cuiquam aut superstitioni obnoxiis; sacra autem ea est, quae quidquid geritur a deo pendere resque humanas omnes a divino numine a principio factas esse, constitutas et procuratas sumit: vel ut uno verbo omnia complectar, prior illa hominum est, posterior quodammodo dei ipsius in orbe terrarum homines regentis ac gubernantis historia.

Hoc autem discrimen ne ita intelligatur cavendum est, tamquam in profana historia dei nulla omnino nec cura nec mentio sit: quod quidem ideo fieri nequit, quoniam vix existit usquam vel cogitari potest homo, quin interdum dei manum in sua aliorumque vita conspiciat. Sed dum sacra historia omnia ad deum refert, haec ea ex hominum voluntate atque arbitrio plerumque repetenda esse censet. Nec sacra historia hominum opera spernit aut negligit, in qua humana omnia suam dignitatem retinent, immo novo etiam sanctoque spiritu nobilitantur, sed quidquid est hominum, id omne a deo ad eorum vitam permanare creditur.

Quae quidem historiae sacrae inventio solis Judaeis debetur. Accedit quidem inter Graecos Homerus ad sacrae historiae morem, apud quem non tam Achillis, Ulixis, Agamemnonis res enarrantur, quam Minervae, Apollinis, Neptuni, quippe cuius in carminibus Hectorem non Achilles sed Minerva, Patroclum non Paris sed Apollo occiderit. Sed haec poetica sunt: ubi vero Graeci ad ipsam historiam scribendam se accinxerunt, Thucydides, vir artis bellicae civitatisque regendae peritissimus, deorum raro meminit, sed res hominum mira quadam, quae nunquam satis laudari potest, perfectione descripsit. Apud Judaeos vero quae initio in Vetere Testamento proposita erat historiae scribendae ratio, ea usque ad ultima tempora mutari non potuit estque in Novo Testamento praeclarius etiam et luculentius multo, quam prioribus temporibus, a scriptoribus tractata. Ibi igitur quoniam deus singula quaeque et suscipit et perficit, neque quidquam fieri potest, nisi quod ille aut voluerit aut admiserit; dei ubique numen gravissimum augustissimum sanctissimum regnat; in eo nituntur omnia, nimirum quia Judaei unum esse sciunt deum eumque docent omnia generasse patremque esse rerum omnium, quae in mundo exstent.

Si vero artis historicae, qualis apud Judaeos floruit, proprium fuit, origines omnium rerum ad deum referre, simul patet, huius historiae summum finem ipsius dei puram castamque venerationem fuisse. Docent igitur et in vita singulorum hominum et in populorum historia enarranda pietatem erga deum, auctorem rerum omnium, providentem tutorem hominum piorum, scelerum vero ultorem, unam hominis excellentissimam virtutem esse; et quo uberiores et praesentiores fructus in vita a deo acceperimus, eo sanctiorem animum nostrum esse debere. Ac mala quaeque et calamitates a dei benignitate aeterna repetunt, quippe quibus saepe etiam magis quam tutela dei ad deum venerandum incitemur; solere homines, quo majora beneficia, quoque saepius praesidium dei experti sint, eo minus cupide dei vestigia sequi. Nisi ut e malis emergant eos non precari; ut hostes vincant, templum adire; ut servitutem depellant, genu flectere; si a dolore ad dolorem rapiantur, si in molestiis, si in desperatione versentur, si non habeant inter homines, quo se vertant, tum demum ad deum confugere, ut quod petiere impetrent; solis igitur calamitatibus permoveri, ut deum ex animo toto venerentur et adorent.

Historici libri Novi Testamenti hanc eandem prae se ferunt indolem ac naturam, sive viri ex Judaeis, sive ex gentilibus orti libros composuerunt. Itaque ut medio aevo Gesta dei per Francos scripta sunt, ita Acta Apostolorum majori jure Gesta dei per Apostolos appellentur; tanta cura ac diligentia, quidquid evenit, totum per librum a deo Christoque provisum tributumque et Apostolis et reliquis omnibus perhibetur. Quid autem de Evangeliis dicam? in quibus divini numinis summa vis inter homines apparuisse dicitur et illa, de qua Plato quondam vaticinatus fuerat, forma ipsa et tamquam facies honesti oculis cernebatur, et mirabiles amores excitabat sapientiae. (Cic. de off. Lib. I. Cp. 5.)

Disiuncta vero est in re quadam maxima a Vetere Testamento Novi Testamenti scriptorum sententia. Jesus Christus enim ut salutem nobis attulit, ita historiae totius decursum a principio usque ad infinitum tempus aperuit, et ab oculis nostris tenebras dispulit. Quum enim de Johanne loqueretur Math. XI, ipse indicavit, in eo praeterita finiri, a se nova saecula incipere. Sed paucis suam doctrinam significavit, nec plane singula revelavit, haec omnia spiritui sancto relicturus. Vaticinia igitur omnia usque ad Johannem valere docuit, quia in eo suum exitum inveniunt. Quae omnia quamquam in parvo Judaeorum populo proprie radices egerunt, tamen is ipse populus a primo initio semper totum orbem terrarum spectavit et Christo duce eum deo subiicere coepit. Hinc natum est illud, quod veteres omnino non noverunt, recentiores summo studio excoluerunt, historiam dico totius orbis terrarum. Elementa autem novae rationis Paulus in Epistolis prae ceteris perspicue explicavit, qui et Judaeorum gentilium patronus esse, magnamque partem terrae peragrare, totique orbi evangelium ferre, ne proponere quidem sibi potuisset, nisi dei consilia perspicere sibi visus esset. Erat enim cultus dei qualis esse debet repertus et via salutis monstrata, quae una omnes populos conjungere et tamquam eiusdem patris filios in concordiam summam ducere potest. Spiritus sanctus missus erat, qui *πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ* I. Cor. 2. 10. eaque in historia hominum et quaerit et invenit. Paulus igitur et praeterita et futura mente ac ratione sua coniungit, exorditur omnia a primis dei consiliis et neque ad ultimum mundi diem, cujus certam quandam imaginem spectat, progreditur. „*Ἡμεῖς δὲ πάντες*“, ait Paulus ad Corinth. II. 3. 18., „*ἀνακεκαλυμμένῳ προςώπῳ τὴν δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι, τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν.*“

Haec artis historicae forma, si quaeris, apud quem scriptorem tota gravitate et dignitate sua reperiatur, praeter Johannem neminem dixeris. Jesus eum docuit, vim eius Paulus perspexit; Matthaeus, Marcus, Lucas opus inchoarunt; Johannes perfectissimum eius exemplum proposuit.

Naturae autem rerum convenit, quod iis qui primi rem summam susceperant, ad fastigium usque eam perducere non licebat. Erant enim primum, quae dispersa fuerant, colligenda; Jesu dicta et facta sensim inter se iungi ed ad certam aliquam formam redigi debebant, ut plena Christi imago patefieret: uno demum in libro postquam tres priores Evangelistae arctissime connexi sunt, sua quisque laude splendent. Sed Johannes muneri vere satisfecit, divinaque magistri sui natura omnibus perspecta, quum reliqui singula eius vitae momenta summa diligentia tradidissent, unus in intima quasi templi penetralia nos duxit: non hominum ingenium, sed vivum nobis patefecit deum.

Imprimis autem magnum Lucae est meritum. Is enim in libro priore enarravit Jesu Christi historiam viventis, Apostolos instruentis, hominum morbos sanantis, peccata condonantis, salutem praeparantis, virtutis verae imaginem proponentis; in posteriore vero mortui quidem sed expergefacti, ad dei dextram se-

dentis, remque publicam Christianam nutu divino gubernantis. Quoniam autem Jesus propterea natus est, ut regnum dei in orbe conderet, Lucas dici potest regni divini primordia duobus in libris proposuisse, in priore a Christo ipso suscepti et initiati, in posteriore vero per Apostolos structi et propagati. Nihil est igitur me iudice alter Lucae liber, nisi testimonium, Christum vere esse in vita, ecclesiam regere suam, Apostolosque suos eorumque discipulos praesentem in opere perficiendo adiuvare. Omnia enim, quae Christus promisit et vaticinatus est, eveniunt; spiritus sanctus mittitur; miracula ab Apostolis fiunt: quae faciunt et docent, Jesu Christi vitae similia sunt; Jesus vero ipse ecclesiae semper adest, omnes audit, volentes nolentes ad se rapit, ut sine eius arbitrio nihil magni nec initium sumat, nec ad finem perducatur. Quaecunque autem fiunt, fiunt in dei honorem.

Exemplis vix opus est: duas res gestas prae omnibus maximi momenti esse apparet, Cornelii baptisma et Pauli conversionem: utraque Christri ipsius opus est. Cum Paulo enim odii et inimicitiarum plenissimo ipse colloquitur (IX. 4. 5. Ep. ad Corinth. I. 15, 19.), Petrus autem invitus fere propterea, ne cum deo pugnare videatur, gentiles baptizare conatur. XI. 18., Ejusdem generis sunt omnia.

Una autem hac ex re intelligitur, quid illud fuerit, quod Apostolos tanta imbuerit audacia, ut nihil non fieri posse ipsorum viribus censerent. Similia vidimus in Martino Luthero, qui quoniam dei sese caussam defendere sciebat, hominum tutelam sprevit, omnibusque adversariis suis magno animo se opposuit. Sed Paulus nonne homo vere temerarius fuisset, si unus paucis cum sociis ad orbem terrarum Christo subiiciendum exiisset, nec cognovisset antea, sibi Christum esse adfuturum nec se tantopere, quam deum esse conatus illius suasorem et auctorem? Idem sensere omnes Apostoli, unamque spem sibi in deo ponendam, in hominibus nullam didicerunt.

Hac in re autem mihi pluribus explicandum est, quod iam significavi, in Apostolis multisque eorum discipulis similitudinem quandam cum Christi vita apparere, quae ipsa, si veri ejus discipuli forent, iis praedicta erat. Conspicitur ea et in malis, quae perferebant, et in miraculis, quae perfecisse dicuntur.

Quid enim aliud apud Matthaeum jam prima in oratione, quae dici montana solet, ubi persecutiones doloresque ad salutem omnibus necessarios esse docet, Jesus significavit, quam sibi et Apostolis, si regnum dei intrare vellent, calamitates plurimas perferendas esse? Ac nonne Johannis baptistae sors, jam priusquam ad Jesum venissent, perspicue ostendebat, quid sibi in posterum a Judaeis, vel ab Herode et aliis principibus exspectandum esset, si eandem vivendi docendique rationem sibi elegissent? Sed ubi primum eos ad populares suos misit, quibus dei regnum annuntiarent, disertis verbis eos docuit, non magistro solum Judaeos, sed discipulis quoque summa pericula, cruciatus, carceres, necem esse paraturos. Neque quidquam magis animum nostrum commovet, quam si Christi dictum maxime memorabile perpendimus quod ex colloquio cum Anania servatum nobis est, Act. App. IX, 16:

Ἐγὼ γὰρ ὑποδείξω αὐτῷ, ὅσα δεῖ αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν, quo Pauli Apostoli sors futura tam simpliciter praedicitur.

Quae Jesus divinaverat, statim eveniunt et quoniam evenerunt, nunc demum percipiuntur. Nam a primo iam initio Petrus et Johannes, reliquique Apostoli pluries carceribus inclusi, vix e manibus inimicorum eripiuntur; Stephanus et Jacobus interficiuntur, Petrus expellitur, Paulus mala perfert innumera, homini vix tolerabilia, nec per longum tempus nisi e vinculis Christi nomen praedicat. Jam in prima ad Thessalonicenses epistola Paulus eodem modo de suis Christianorumque calamitatibus loquitur II. 14. 15. *Ὑμεῖς γὰρ μιμηταὶ ἐγενήθητε, ἀδελφοὶ, τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ τῶν οὐσῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὅτι τὰ αὐτὰ ἐπάθετε καὶ ὑμεῖς ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων τῶν καὶ τὸν κύριον ἀποκτεινάντων Ἰησοῦν καὶ τοὺς προφήτας καὶ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων, καὶ θεῷ μὴ ἀρεσκόντων, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων.*

Sed si quid efficere volebant, opus erat factis, quae a Christo Apostolis easdem vires, quibus ipse pollebat, traditas esse demonstrare possent. Etenim si miracula vidissent, tum demum Judaeorum gentiliumque animi ad doctrinam Christianam paratiores accedebant. Ea autem Christus ipse futura esse promiserat; immo majora etiam discipulos perfecturos esse, quam magistrum, pollicitus fuerat; atque eos vehementer reprehendebat, si quando sanare homines et muneri mandato sufficere non potuerant (Luc. IX. 41.). Haec autem miracula non ipsorum Apostolorum, sed dei opera esse, horum per manus perfecta cum per se patet, tum disertis verbis perhibetur IV. 10. Hanc ab caussam de rebus ab Apostolis gestis ubique eadem fere vocabula atque de Christi ipsius miraculis usurpantur. Nam si Christum Petrus II. 22. nominavit *ἄνδρα ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, οἷς ἐποίησε δι᾽ αὐτοῦ ὁ θεὸς ἐν μέσῳ ὑμῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ οἴδατε,*) nonne ejusdem sunt generis, quae Paulus in Epist. ad Romanos de se praedicavit (XV. 18. 19.): *οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τι, ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστὸς δι᾽ ἐμοῦ, εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, λόγῳ καὶ ἔργῳ, ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων, ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου· ὥςτε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ, μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ·* (Cf. 1. Cor. II. 14.) — Neque aliter Lucas de omnibus Apostolis (II. 43.) *πολλά τε τέρατα καὶ σημεῖα διὰ τῶν ἀποστόλων ἐγίνετο.*

Ea similitudo autem qualis fuerit si singula contemplamur, vel luculentius patebit. Christus enim et Apostoli aegrotos plurimos sanarunt, claudos cf. Matth. XI. 6. Luc. VII. 22. Act. App. III. 2. et XIV. 8., membris captos (*παραλυτικούς*) Matth. IV. 24., VIII. 6., IX. 1., Act. App. IX. 33. VIII. 7., spiritu impuro agitatos Matth. VIII., 16. 28. Act. App. V. 16. VIII., 7. XVI. 16., XIX. 12., febri laborantes Matth. VIII. 14., Joh. 4. 12., Act. App. XXVIII. 8. alios multos. Jesus autem non solum praesens sed etiam, quum procul esset remotus, nec solum quum vellet, sed etiam quum tangeretur aut ipse aut ejus vestes, invitus fere talia fecit;

ἐξέβαλε τὰ πνεύματα λόγῳ. (Matth. VIII. 16.); *Καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐζήτει ἅπτεσθαι αὐτοῦ· ὅτι δύναμις παρ᾽ αὐτοῦ ἐξήρχετο, καὶ ἰᾶτο πάντας.* Luc. VI. 19., *γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ.* Matth. IX, 21. Similia de Petro narrantur Act. App. V. 15., *ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν*, et de Paulo XIX. 12., *ὥστε καὶ ἐπὶ τοὺς ἀσθενοῦντας ἐπιφέρεσθαι ἀπὸ τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ σουδάρια ἢ σιμικίνθια καὶ ἀπαλλάσσεσθαι ἀπ᾽ αὐτῶν τὰς νόσους.* Ut autem Christus etiam mortuos in vitam revocavit, idem Petrus fecit. Act. App. IX. 36. — Quae si audimus, simulque perpendimus, ea esse non clam et occulte, sed palam gesta, simulque eo tempore edita, quo plurimi aequales in vivis erant, denique iis ipsis a Paulo scripta, quibus aut interfuerat aut interfuturus erat, ut de eorum veritate dubitare nequeamus: facile inde quo ex fonte alacritas illa Apostolorum, magnus eorum animus, audaciae vigor orta sint percipimus. Non frustra igitur tota ecclesia precabatur, Act. App. IV. 29., 30., ut ne miracula sibi deessent, quae orationem ipsorum confirmarent.

Eadem vero historia sacra, quae dei magnitudinem tantopere celebrat, homines haud raro vitiosos nobis divinaque gratia indignos ostendit. Nec solum scelerati in perniciem suam se praecipitant, ut Judaei, imprimis Hierosolymorum incolae, qui cladem sibi imminentem facinoribus suis accelerant, vel Ananiae et Sapphirae, qui propter fraudem Petro divini consilii interprete mortem oppetunt, vel Elymas Magus, qui propter pertinaciam suam Pauli arbitrio occaecatus, vel Herodes, qui mediis in honoribus summis subito dei voluntate occidit; sed etiam alioqui virtute insignes probique homines haud raro errant et culpae suae caussa puniuntur. Laudare enim profecto nec Marcum possumus, qui cum Paulo et Barnaba pericula perferre non audet sed fugam capessit, nec Paulum et Barnabam, qui propterea inter se disputant et rixantur. Nam post mortem Christi non minus Apostoli interdum peccata admittere possunt, quam quo tempore Jesu duce et adiutore usi sunt. Omnia igitur illa dissidia inter Christianos orta, et qui ex Judaeis et qui ex Graecis prodierant (IX. 1.), et quum gentiles ad Christum se convertissent (XV. 1.), inter illos, qui propter leges Mosaicas aut abrogandas aut non abrogandas certabant, multa exstitisse ostendunt, quae cum mutuo amore primorum Christianorum comparata placere nobis minime possint. Nec dixerim equidem, Jesu exemplum et doctrinam ipsi Paulo in animo fuisse, quum summi sacerdotis temeritatem verbis vehementissimis reprimeret (XXIII. 3.). Quum vero se Pharisaeum esse et propter resurrectionem futuram in iudicium vocari dixerit (ib. V. 6.) et quum notissimum istud consilium multorum Christianorum sequutus sit (XXI. 20), ut se a criminibus purgaret, quorum apud Judaeos reus erat; fuere qui haec omnia nec utilia fuisse et reliquorum hominum, quales ubique esse solent, ex more magis quam ex virtutis Christianae legibus ac normis deprompta dicerent. Equidem imprimis illud, quod postremo loco commemoravi, ut solet in rebus prudenter magis, quam secun-

dum severas ipsius hominis leges susceptis fieri, pericula vitanda auxisse video et amplificasse. Talia autem num occultantur melius, quam aperiuntur? non magis, credo, quam scriptoribus sacris visum est ipsis, quibus ea oculis nostris subtrahere non placuit; nec quanta Pauli est virtus, eget ille tali occultatione, ne inter gentiles quidem excusata aut excusanda. Sed de se ipse (1. Cor. I. 31, II. 1—4): *ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω. Κἀγὼ ἐλθὼν πρὸς ὑμᾶς, ἀδελφοί, ἦλθον οὐ καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας καταγγέλλων ὑμῖν τὸ μαρτύριον τοῦ θεοῦ. Οὐ γὰρ ἔκρινά τι εἰδέναι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον. Καὶ ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς*, ait, cf. II. 10. 12. et II. Cor. XII. 5—10: *Ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι, ὑπὲρ δὲ ἐμαυτοῦ οὐ καυχήσομαι, εἰ μὴ ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου. Ἐὰν γὰρ θελήσω καυχήσασθαι, οὐκ ἔσομαι ἄφρων· ἀλήθειαν γὰρ ἐρῶ· φείδομαι δὲ, μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ. Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. Ὑπὲρ τούτου τρὶς τὸν κύριον παρεκάλεσα, ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ· καὶ εἴρηκέ μοι· ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται. Ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχώσομαι ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ.*

Haec si vere disputata sunt, non est caussa, cur mirabile nobis videatur, quod in Vetere Testamento vel heroes ipsos, imprimis Jacobum et Davidem summa in peccata incidisse legimus. Est enim hoc historiae sacrae proprium, quod dum dei gloriam praedicat, libero ore hominum errores castigat: eaque ratione profanae historiae exemplum proposuit, quod illa, si timor hominum animo non radicitus evellitur, nunquam eadem severitate consequi poterit. Ubi autem pura in deum est pietas, ubi castam vitae severitatem toto pectore homines expetunt, ubi similitudinem dei vere sectantur: ibi solum efficitur, ut nec nostram laudem celebratam audire possimus, nec praeter deum Christumve quemquam a vitiis et peccatis cogitare liberum, nedum appellare fas esse existimemus. *Οὐδεὶς*, ait Christus ipse, *ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός*. Matth. XIX. 17.

Ad haec clarius perspicienda Christi et doctrina et vita opus erat, a quo sanctum hoc munus sacrae historiae amplificatum est. Ac si in ecclesiae Christianae primordiis dei dona et beneficia (*χαρίσματα*) diversi generis orta esse legimus, quae coniuncta inter se effecerunt, ut principem Christus in orbe terrarum locum occuparet: inter ea Evangelistarum etiam munus summo gaudio acceptum est; et plurima *πρὸς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ* contulit; quare Paulus illud Apostolorum modo et prophetarum provinciae postposuit, ad Ephes. IV. 11. Dubitare non possumus, quin Apostoli omnes prae ceteris huic rei summam impenderint curam et diligentiam et si quem virum Paulus *θεοδίδακτον* repperisset, huic muneri, ut ipsi videbatur, non imparem, eum quovis modo ad rem felici successu perficiendam praeparaverit. Neque hoc alio modo, quam quo Jesus usus erat, fieri poterat.

Secum igitur illos habebat, ut Dei Jesuque miracula suis oculis contemplarentur; deinde ad ecclesias misit, ut ipsi similia perficerent, atque in iis administrandis Apostolum pro virili parte adjuvarent: denique si quando occasio daretur, absentibus epistolas scripsit, quibus eos adhortaretur, atque in futurum vitae tempus praeceptis necessariis instrueret, ut si quid humani passus esset, soli suis viribus a deo auctis rei publicae Christianae promovendae operam darent. Hac via Marcus cum Petro coniunctus fuit; Timotheus, Titus, Lucas ex Pauli quasi schola quadam prodierunt: quorum quos primo et ultimo loco nominavi, Marcus et Lucas Apostolorum, imprimis Pauli exemplum secuti, non solum *στόμα πρὸς στόμα,* ut Johannes ait, sed etiam *διὰ χάρτου καὶ μέλανος* (Joh. Epist. II. 12.), Jesu Apostolorumque rebus enarratis. dei honorem celebrarunt. Ita orta sunt scripta Evangelia. Unde quae veteres Evangelistae praestitere, quum aut ab Apostolis missi aut hoc munere ab ecclesia sibi tradito ultro diversas orbis terrarum regiones adirent Christumque praedicarent: ejus rei imaginem claram et perspicuam accepimus, quae totam posteritatem usque ad ultimum iudicii diem alere et nutrire poterit.

V.

Si omnium historicorum summum officium esse constat, ubique vera prodere, neque unquam mentiri aut in hominum singulorum favorem vel probrum quidquam dicere aut omittere: Christiano historico nihil magis indignum est, quam si non satis caverit, ne quae minus certa sunt et extra dubitationem posita tradat, neve ab omni ira et studio totum se cohibeat. Atque homines eos esse nec ab erroribus liberos, quum per se intelligatur, illud unum prohibendum est, quominus consulto falsa prodere non dedignentur. Falsa autem omnia sunt, e quibus historici sententia non tota cognoscitur. Lucas vero Evangelista si historicorum pessimorum rationem amplexus esset, qui Paulum vel Christum potius summum doctorem habuit, de tota hac arte profecto desperandum esset.

Hinc evenit, ut de consilio Lucae in Actis Apostolorum scribendis proposito omnino non esse quaerendum plerique censerent, quoniam historici officium sanctissimum ab eo susceptum esse, ecclesiae primordia qualia fuerint docendi, appareret. Nostra vero aetate, quae tales quaestiones maximi esse ponderis vidit, exstitit Schneckenburgerus, qui in libro peculiari, eoque satis amplo doctrinaeque et sagacitatis plenissimo tam strenue hoc de consilio commentaretur (Ueber den Zweck der Apostelgeschichte, Bern 1841.) ut ejus conjectura theologis, qui maxime inter se dissidere solent, F. Ch. Baurio (Der Apostel Paulus, p. 95.), H. Thierschio (Die Kirche im apostolischen Zeitalter, p. 121.), M. Baumgartenio (Die Apostelgeschichte II., 1., 93., 599.), Ed. Reussio (Die Geschichte der heil. Schriften Neuen Testaments. §. 201.), Ed. Zellero (Die Apostelgeschichte in ihrem Inhalt und Ursprung kritisch

untersucht, p. 322.) aliisque pluribus valde placeret ab iisque aut ex parte aut tota probaretur. Cuius viri sententiam si sequimur, liber ille nihil est, nisi defensio Pauli contra adversarios eius Christianos ex Judaeis ortos, quibuscum ut epistolae docent, vehementer ei pugnandum fuerat, eaque hac mente suscepta, ut horum odium et inimicitiam iniuria sibi illata esse ostenderetur. [1]) Excogitata haec coniectura est, quia difficultates ex libri indole ac natura profectae solvi hac una via inita posse videbantur: ductus autem est ad eam Schneckenburgerus, ut ipse confitetur l. c. p. 221 Schraderi Bauriique monitis, ipse vero ita exornavit hanc opinionem et accurata totius libri censura instituta contra omnes adversariorum conatus munivit, ut dubitationi vix aliquem locum relictum esse existimet.

Quae quidem coniectura neque Lucae neque Paulo honorifica est, quoniam historico indignum videri debet, non simpliciter quae gesta sunt enarrare, sed unius hominis servitio se tradere, defensiones autem ab amicis et discipulis susceptae plerumque speciem excitant, advocato virum indiguisse, nec sibi ipsum sufficere potuisse. Illud igitur si Lucas voluisset, sibi et illi non profuisset sed nocuisset, idque eo magis, quo felicius studium suum ubique occultavit verique historici veste indutus incedit, ita ut artificium ejus non prius quam nostris diebus detegeretur. Haec autem deliberatio nec Schneckenburgerum commovit (p. 248), ut suam retineret opinionem, nec viros supra nominatos, ut assensum suum cohiberent.

Ad singula vero progredienti illud mihi prae ceteris pertractandum puto, quod ad satietatem usque et fastidium ab omnibus, quicunque res hasce tetigerunt, repetitum est. Dicunt enim sic a Luca totam narrationem institutam esse, ut Paulum Petro et in miraculis perficiendis et in omni vita vitaeque honore parem fuisse appareret. [2])

Quomodocumque autem de Apostolorum principe iudicamus, hoc quidem constat, ut Christus Petrum, dum in vivis erat, quamquam eius errores perspexerat, prae ceteris magni fecit idque nomine etiam dato testificatus est, ita eum in Actis non tam dici quam monstrari verum ecclesiae auctorem conditoremque, quippe qui tribus millibus Judaeorum coetui Christiano jam primo die additis, operis fundamenta posuerit. Haec igitur gloria, quod non suum sed Christi in honorem, quamquam omnium Apostolorum praesentium alacritate adiutus, tamen sua potissimum oratione rem difficillimam ad exitum perduxit, quoniam quae facta sunt, infecta reddi nequeunt, nunquam obscurari poterit. Suum ita nomen in omnia saecula cum Jesu

[1]) p. 151. „Wir haben die Ansicht gewonnen, dass der Verfasser nicht einen rein historischen Zweck verfolgt, sondern dass er den Apostel in das Licht zu stellen sucht, in welchem er den Juden-Christen unanstössig und auch für sie als wahrer Apostel beglaubigt erscheinen konnte."

[2]) ib. „Denn es erschien uns Paulus in allen wesentlichen Stücken, die zu einem Apostel gehören, parallelisirt."

Evangelio junxit; nec defendit ecclesiam contra Judaeos solum eorumque proceres, et contra eos, qui specie quidem, non re vera Christum professi erant, Ananiam et Sapphiram, sed contra Pauli ipsius furorem, qui quo tempore Petrus tamquam signifer Jesu crucifixi prodierat totamque ecclesiam praeclare gubernabat, in Christianos saevire crudelissime coeperat. Antecedit igitur Petrus cum reliquis Apostolis: sequitur sed magno temporis intervallo Paulus et quae vulnera ecclesiae inflixerat, ingenti labore sanare, nec vero Petri honores immortales, ut ex epistolis patet, reprimere studuit. Is quum ecclesiae Hierosolymitanae praesideret, Luca teste summa concordia floruit ecclesia et re familiari pauperum sublevata distributisque divitum opibus admirandum amoris exemplum proposuit. Simul vero quum faceret res praeclaras, loquutus est ita, ut divinum spiritum, quo inflammatus erat, prae se ferret. Tria enim illa, quae Petri ex oratione Lucas affert: *Ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐχ ὑπάρχει μοι, ὅ δὲ ἔχω, τοῦτό σοι δίδωμι· ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου ἔγειραι καὶ περιπάτει*. III. 6, et *οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ θεῷ*. V. 4, et *Πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις*. V. 29. ita sunt comparata, ut Jesu Christi discipulo dignissima esse videantur. Nec illud negligendum est, quod Petrus primus pro Christo mala et calamitates pertulit viamque hancce sequentibus omnibus et ipsi Paulo monstravit. Haec igitur qui contemplatur, res a Petro gestas ita a Luca traditas esse concedet, ut maiorem vel parem honorem nemo Apostolorum reportaverit.

Nec vero ea quae Schneckenburgerus singulatim attulit, quod illi volunt demonstrant. Uterque, aiunt, Paulus et Petrus, claudum sanavit, III. 1. XIV. 8.; utramque narrationem Lucas paene iisdem verbis narravit, eoque modo lectorem manu quasi duxit, ut Paulum postponi Petro non debere iudicet. Vide hanc Zelleri tabulam p. 214:

C. 14. 8.:	*Καί τις ἀνὴρ ἐν Λύστροις ἀδύνατος τοῖς ποσὶν ἐκάθητο, χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ...*	C. 3. 2.	*Καί τις ἀνὴρ χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ὑπάρχων ἐβαστάζετο......*
		3.	*Ὅς ἰδὼν Πέτρον καὶ Ἰωάννην ....., ἠρώτα ἐλεημόσυνην......*
9.	*Οὗτος ἤκουε τοῦ Παύλου λαλοῦντος· ὅς ἀτενίσας αὐτῷ....*	4.	*Ἀτενίσας δὲ Πέτρος εἰς αὐτὸν .... εἶπε.....*
10.	*εἶπε μεγάλῃ τῇ φωνῇ· ἀνάστηθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου ὀρθός· καὶ ἥλατο καὶ περιεπάτει....*	8.	*Καὶ ἐξαλλόμενος ἔστη καὶ περιεπάτει· καὶ εἰςῆλθε σὺν αὐτοῖς εἰς τὸ ἱερὸν, περιπατῶν καὶ ἁλλόμενος καὶ αἰνῶν τὸν θεόν.*

Ita sunt haec a Zellero edita; nec enim *εἶπε* voculam ad similitudinem demonstrandam sibi eripi passus est, immo res Zellero tanta visa est, ut hanc de Pauli miraculo narrationem ex narratione praecedente haustam esse

contendat.*) Multo prudentius Schneckenburgerus provocavit ad illud unum *χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ,* nec tamen his vocibus plus quam speciem quandam sed eam maxime debilem excitavit. Nam est hoc Lucae omniumque scriptorum Novi Testamenti proprium, quod saepe iisdem vocibus utuntur; *ἀτενίζω* enim invenimus Luc. Ev. 4. 20. Act. Apost. 1. 10., 3. 4., 3. 12., 11. 16., 23. 1. cf. Paul. ad Cor. 3. 7. 13. *ἐκ κοιλίας μητρὸς* Matth. 19. 12. Luc. Ev. 1. 15. Gal. 1. 15. quae est formula Hebraeis usitata Ps. 22. 10. Jes. 49. 1. (s.) Ps. 71. 6. *ἀνήρ δέ τις ἦν* Act. X. 1. V. 1. — *ἀνήρ τις ἦν Μακεδών* XVI. 9. — Remanet igitur nihil nisi res ipsa. Ea autem talis est, ut singula quaeque a primo initio usque ad finem diversissima esse appareat. Illud enim inter Judaeos, hoc inter gentiles factum est; apud illos homo est notissimus omnibus et pauper, apud hos ignotus, sed non pauper. Ille petit stipem, quam Apostoli dare ei nequeunt et accipit bonam valetudinem; hic audit Paulum loquentem et a Paulo sanatur, quoniam Apostolus agnoscit, eum fidem habere; hic comitatur Apostolum in templum, is tale quid non suscipit. Jam Petrus hac occasione utitur et orationem habet publicam in templo et multos Judaeos inter discipulos Jesu recipit, IV. 4. Apud hos contrarium evenit: deos credunt eos esse et sacra ferunt; vix autem a sacris ferendis cohibiti, quum Judaei advenissent, eosdem quos deos esse crediderant ex urbe expellunt, Paulum lapidibus obruunt. Sed quid multa? tantopere differunt omnia, ut si altera narratio ex altera hausta esset, fraudatorem aliquem in manibus haberemus, qui callidissime dolum suum occultavisset.

At his nugis missis si utramque narrationem legimus, apparet alteram illam de Petro narrationem longe ornatiorem esse et ita narratam, ut in Petri honore celebrando totam vim suae orationis proponere Lucam voluisse censendum sit, alteram vero, quae Paulum attinet, longe breviorem et minus ornatam, si cum hac comparetur, vix umbram ejus esse, ut qui ea re abuti vellet, inde colligere posset, Paulum Petro longe esse a nostro scriptore postpositum.

Ut autem jam prius exposuimus, Petrus et Paulus non inter se, sed cum Jesu Christo comparantur, qui similia multa perfecerat. Quodsi perpendimus ea quae cum tertio quodam conveniant necessario inter se convenire, tota species quam Schneckenburgerus excitavit evanescit. Longius etiam repetitum est, quod paralyticum Lyddae sanatum, Aeneam, Schneckenburgerus cum Poplii patre febricitante (28, 8) et torminibus intestinorum laborante composuit.

Ex Jesu similitudine optime explicari docuimus, quod uterque Apostolus etiam quum procul remotus esset aegrotos sanasse dicitur (V. 15. XIX. 12.). Sed

*) weil die Quelle dieser Erzählung in dem früheren Bericht über ein ganz ähnliches Wunder so offen zu Tage liegt, dass es fast unmöglich ist, sie zu verkennen. — Die Verwandtschaft der beiden Erzählungen ist wirklich überraschend: nicht nur der Haupterfolg ist in beiden Fällen der gleiche, sondern auch die Nebenumstände stimmen auf's Vollständigste überein und sogar die Ausdrücke sind grossentheils dieselben. Haec omnia quomodo scribi potuerint, non intelligo.

ea quoque ita comparata sunt, ut Petri miraculum praestantius esse videatur quam Pauli, quoniam Paulus aegrotos sudariis suis, Petrus vero ipsa umbra sua valetudinem bonam restituit.

Non sine admiratione vero sequentia legimus. Transit enim Schneckenburgerus ad victorias utriusque Apostoli de magis reportatas et commemorat Simonem magum, quem Philippus diaconus inter christianos receperat (8. 25—27.) Quum enim Petrus et Johannes ad Samaritas proficiscerentur, Simon magus quum vidisset manibus impositis spiritum sanctum Christianis tradi, pecunia data eandem sibi potestatem comparare voluit. Haec ille contulit cum iis, quae de Judaeo Barjesu, Paphi a Paulo excaecato (XIII. 18.), de daemone fatidico Philippis expulso (XVI. 16.) et de exorcistis Judaeis male mulcatis (14. 13.) enarrantur. Ea vero et inter se et a Petri rebus tantopere dissident, ut ad obscuram famam ex libris apocryphicis notam delabi coactum se viderit.

Monet praeterea Schneckenburgerus utrumque Apostolum poenas etiam miraculosas hominibus sceleratis injecisse eamque ad rem demonstrandam Ananiam et Sapphiram iterum cum Barjesu comparat occaecato. Qua in re iam illud mirum est, quod eadem Barjesus historia bis usurpatur, deinde vero quod res longe diversas miscuit. Denique utrumque etiam mortuos excitasse affert, Petrum (IX. 36.). Joppae, ubi Tabitham in vitam revocabat, Paulum Troade (XX. 9.), ubi Eutychus restituitur. Sed Lucas, quae ille dicit, tam parum certe et perspicue significavit, ut multi interpretes iure suo longe aliter omnia explicaverint. Quodsi Lucas consilio utriusque Apostoli comparandi ductus fuisset, et vere credidisset, Eutychum mortuum a Paulo in vitam revocatum esse, longe clarius dicere omnia debebat. Sin vero accuratius omnia inter se contenduntur, etiam Schneckenburgeri interpretationem secuti, hac quoque in narratione Paulum Petro cedere intelligimus. Denique utrumque Apostolum pari honore ab aequalibus esse ornatum, Schneckenburgerus asseverat. Provocavit autem primum ad V. 13. *τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς ἐτόλμα κολλᾶσθαι αὐτοῖς*, ubi non de Petro, sed de omnibus Apostolis sermo instituitur. Cornelius autem si Petrum adorabat et propterea a Petro reprehendebatur, hoc longe diversum est a veneratione incolarum Maltae et Lystrae, qui Paulum deum nominabam eidemque sacra ferre conabantur. XXVIII. 7., XIV. 15. Quae postremo loco addidit de Pharisaeis in Synedrio Paulo faventibus, huc non pertinent, nec agnosci potest caussa, quam ex mala scriptura codicum repetit. Multo minus autem huc trahi possunt aut valent aliquid, quae de discipulis Johannis Baptistae narrantur p. 55. Mirum est qua ratione ille totam hanc rem ita explicare potuerit, ut in manibus iis impositis summa narrationis appareat, quamquam id quoque non ad Petrum, sed ad omnes Apostolos pertinet; Lucas autem tam occulte consilium suum significasset, ut usque ad Schneckenburgerum nemo hanc rem detegere potuisset. Haec omnia igitur ita instituta sunt, ut nihil certi inde colligi queat. Quum enim

uterque Apostolus diversa ab omni parte expertus fuerit, hae paucae similitudines etiamsi vere essent prolatae, nihil effecturae fuissent.

Totus autem Schneckenburgeri liber ita conformatus est, ut multa ex rebus incertissimis colligantur, Lucae vero famae ne hilum quidem parcatur. Quid multa? si viri docti falsum sentire coeperunt, saepe ne tum quidem a conatu suo revocantur, quum maxima quaeque et gravissima in pericula incidere viderint. Insunt profecto vera et praeclara permulta, quae hunc librum ornant, sed tot erroribus mixta et temperata, ut vix sine fastidio eum perlegere possis, etsi sagacitatem admirari cogimur, qua usque ad finem omnia pestractantur.

VI.

„Haec historia, ait Erasmus de Lucae Actis Apostolorum,“ quid aliud est quam Evangelii pars eaque meo iudicio non minima? Si quidem illic describitur granum frumenti solo conditum, hic describitur enatum suasque paulatim aperiens ac proferens opes. Quod ni per Lucam cognovissemus, quibus modis Christus reliquerit terras, ubi, quo loco, quibus modis advenerit promissus ille spiritus, quibus initiis coeperit ecclesia, quibus rebus polluerit, quibus creverit rationibus, nonne bonam Evangelii partem ignorassemus.“

Ita veteres de aureo Lucae libello iudicarunt: nostratium contra nonnulli quis plura ei peccata probro vertere, quis propter ea quae aut scripserit aut omiserit malitiosius et odiosius eum reprehendere possit, inter se certant. Atque historiam quidem ab omni parte absolutam propter ea, quae iam diximus, expectare nemo potest. Quod autem Johannes de Evangelio suo ipse dicit: *Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα σημεῖα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἃ οὐκ ἔστι γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ· ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.*“ (Joh. Ev. XX. 30. 31.), idem suo libro Lucas si inscripsisset, viam nobis qua iustum de eo judicium fieri deberet, monstrasset. Consilium enim eius fuit nullum nisi ut fidem legentes amplecterentur salutemque sibi pararent: idque narratis rebus a Christo in ecclesia gestis assequi studuit, non omnibus, — non erat enim ut consilium illud assequeretur necessarium, — sed singulis, quae potissima esse comperisset vel, ut verisimile est, quae quum crebro ab ipso explicata essent, in fide hominum excitanda saepissime ipsi hominumque debilitati subvenissent. Res enim plurimae jam cognitae erant plurimis, sed singulatim expositae, non uno comprehensae volumine, nec simul a quoquam ab initio usque ad finem propositae. Jam unus Evangelistarum, qui Jesu vitam referre dei gratia didicerat, quae de ecclesia Christiana a divino magistro suo gubernata cognoverat ac singulatim proferre consueverat, chartae mandare constituit. Quod quum faceret, singula ut didicerat referre ei licebat, sed addere ea

coactus erat, quibus singulae narrationes inter se coniungerentur. Utrumque Lucas fecit, ut ipsa libri forma facile demonstrat: omnia vero, his paucis additamentis quae transitum pararent exceptis, semper eodem quo ea ipse saepius nüntiaverat, modo instituit, ita ut non tam scribentem legere, quam audire dicentem debeamus. Quod nonne clarissime elucet, ubi subito ne monito quidem auditore illa simplicitate usus, quae narrantem maxime decet, se iter facientibus admiscet? Hoc qui tenuerit, liberum se a sexcentis erroribus, in quos critici inciderunt, servabit, praesertim ubi simul cogitaverit, eo tempore quo omnes in terrae partes Jesu nomen ferebatur, unum hominem toti ecclesiae historiae satisfacere non potuisse. Ad Stephani enim mortem Hierosolymis ecclesiae sedes fuerat, qua urbe a plurimis relicta, Lucas alias nos in terrae regiones ducit et, quia Paulum comitabatur, eam historiae partem non tam sibi elegit, quam vitae genere sibi mandatam accepit, quae in omne aevum gravissima fuit. Historias enim, non historiam scripsit.

Facile intelligimus, universe in narrationum serie Lucam simul et temporum et locorum rationem habuisse. Ut autem in Evangeliis hoc factum est, ita idem in Actis Apostolorum recurrit; nam indicantur quidem tempora, sed solet scriptor universe ita fere loqui: *καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις* (I. 15.), *ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ταύταις* (VI. 1.) ubi ad nova transit. Locorum tamen longe accuratius meminit. Discedens enim quod Jesus edixerat (I. 8), *καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἰερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς*, dum apostoli faciunt, alias semper urbes sibi eligunt, inter quas imprimis Caesarea, Antiochia, Ephesus, Corinthus Roma nominantur. Id qua ratione factum sit dum Lucas tradit, iam ideo media in historia consistere cogitur, quia quum scriberet, edicti illius vere perficiendi primum tantum modo initium factum erat: unde hac ex caussa apparere diximus, cur liber ejus epilogo careat. Ceterum hic ipse historiae nexus ut per se intelligitur nullo modo arctus est permisitque scriptori, ut pro arbitrio quae sibi viderentur aut adderet aut omitteret.

Jam si vere ut diximus Lucas singulas narrationes easque non accurate inter se cohaerentes proposuit, verisimile est, in partium commissura et compage, ubi aliqua narratione finita nova incipit, hoc nobis appariturum esse. Ac profecto Lucas hoc nulla in libri parte occultavit. Superest autem locus, ubi neminem fugere potuit. Quo enim loco Pauli et Barnabae itineris Hierosolyma facti meminit, et ad alterum iter, quod Apostolus uterque ad gentiles suscepit, se convertit: prior narratio finitur, posterior incipit ab his verbis: XII. 25. XIII. 1.

Βαρνάβας δὲ καὶ Παῦλος ὑπέστρεψαν ἐξ Ἱερουσαλήμ, πληρώσαντες τὴν διακονίαν, συμπαραλαβόντες καὶ Ἰωάννην τὸν ἐπικληθέντα Μάρκον.

Ἦσαν δέ τινες ἐν Ἀντιοχείᾳ κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν προφῆται καὶ διδάσκαλοι, ὅ, τε Βαρνάβας καὶ Συμεών, ὁ καλούμενος Νίγερ, καὶ Λούκιος ὁ Κυρηναῖος, Μαναήν τε, Ἡρώδου τοῦ τετράρχου σύντροφος, καὶ Σαῦλος. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ κτλ.

Haec si non ex singulis narrationibus orta sed uno tenore omnia a rerum

Christianarum auctore aliquo perscripta essent, sine dubio disiuncta non essent relicta, praesertim quum duo illi viri Paulus et Barnabas prae reliquis omnibus in utraque parte nominentur ac iunctura accurata facile institui potuisset.

Sequitur narratio de Pauli et Barnabae itinere secundo Hierosolymitano, simplicius prioribus annexa, XV. 1.—35, eodemque more quem in Evangeliis semper invenimus „καί τινες κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας". — Deinde vero ea pars libri incipit, qua de Paulo solo agit, quae usque ad libri finem ducitur, XV. 36.— XXVIII. 31, ubi statim ab initio XVI. 16, Lucas, se Paulo ipsum adfuisse significat (ἐζητήσαμεν ἐξελθεῖν εἰς τὴν Μακεδονίαν). In hac autem parte, quo propius ad exitum venimus, eo magis omnia ita conscripta sunt, ut vix singula itinera a reliquis discernere queas; nisi quod Paulus iterum per tempus aliquod apud Antiochenos commoratus esse dicitur, XVIII, 22. Exstant vero in his quoque singulae narrationes, quae particulas quasdam a reliquis sejungunt, ut ea quae deinceps sequuntur de rebus Ephesi gestis, ubi Apollos Alexandrinus et reliqui discipuli Johannis baptistae consulto a scriptore eadem ratione, quae in Evangeliis saepe obvia est, coniunguntur. XVIII. 23.—XIX. 20. Maxima vero pars nihil nisi tumultus pericula vincula catenas refert, simulque Pauli certamina defensiones calamitates, quibus vexatus opprimi sese non sinit, sed alacritate summa in docendo Jesuque praedicando felicissime pergit.

Negari nequit, his in omnibus narrationibus Lucae manum proprie detegi, qui non solum ornate et graviter loqui, sed quod multo maius est, in ipsa rerum omnium connexione, dei auxilium tam clare et perspicue quasi digitis monstrare didicit, ut qui haec recte legat, tota sese mente et animo commotum sentiat, nec sine deo et Christo Paulum Apostolum vixisse perspiciat. Quotiescumque autem haec legi, maxime semper similitudo illa mihi in mentem venit, quae inter ultimam et Evangelii et Actorum partem intercedit. Ut enim in Evangelio pars posterior arctius cohaeret singulaeque ejus partes dissolvi nequeunt: ita idem in Actis Apostolorum fieri videmus. Sin vero sententiam quaerimus, quae in utraque parte regnet, nihil nisi mortis praeparationem invenimus. Hanc et Jesus et Paulus praedicunt saepius, hic vero nusquam pulchrius, quam in praeclara oratione ad presbyteros Ephesinos habita XX. 17. sqq. simillima illa Paulinis epistolis. Neque aliter atque in Evangelio Hierosolyma, in Actis Roma petitur, cf. XIX. 21. ὅτι μετὰ τὸ γενέσθαι με ἐκεῖ, δεῖ με καὶ Ῥώμην ἰδεῖν, et XXIII. 11. ὡς γὰρ διεμαρτύρω τὰ περὶ ἐμοῦ εἰς Ἱερουσαλὴμ, οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι. Exoritur igitur quaestio ista saepe inter viros doctos tractata, utrum Lucas Apostoli necem cognoverit nec ne, quam solvere ne ex hac similitudine quidem audeo. Nihil autem magis in Schneckenburgeri libro miratus sum, quam quae hac de re p. 123. sqq. scripsit. Nam si etiam quod Pauli exitus reticetur ex Lucae consilio repetere posse sibi visus est, nimium quantum in incerta opinione sua haesisse putandus est.

In priore vero parte commissurae singularum narrationum primo adspectu cognoscuntur. Prooemium enim, I. 1—14., nominatis duodecim Apostolis et primis ecclesiae membris ita desinit: *Οὗτοι πάντες ἦσαν προςκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προςευχῇ...* Sequitur prima narratio de Matthia Apostolo electo, Spiritu Sancto misso, et ecclesia Christiana condita, cui clausula addita est II. 42. *Ἦσαν δὲ προςκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προςευχαῖς.* Jam ubi Lucas ad alteram narrationem transit, in praefatiuncula et prima Apostolorum miracula universe commemorat, II. 43, et summam singulorum concordiam praedicat, et quid mutuo conjuncti amore fecerint enarrat, eamque ita instituit, ut oratio, si singula ad necessitatem ordinis redigantur, abrupta et hians ut antea videatur. Ait enim iterum 46. „*Καθ' ἡμέραν τε προςκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον..*" Sed ipsa narratio, sola per se considerata, praeclare decurrit, quatenus non solum miraculorum exemplum refertur, quod maximi ponderis est, sed etiam Apostolorum ecclesiaeque totius concordia praeclare illustratur, cf. IV. 23—31.

Sequitur de Anania et Sapphira narratio IV, 32 cuius praefatio cum rei referendae accommodatissima, tum vero minus apta propterea hac in narrationum serie videri debet, quod scriptor eadem, quae iam in priore praefatione allata erant, iisdem fere verbis inculcat. Antea enim legimus (II. 45—46.): *εἶχον ἅπαντα κοινὰ καὶ τὰ κτήματα καὶ τὰς ὑπάρξεις ἐπίπρασκον, καὶ διεμέριζον αὐτὰ πᾶσι, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε*, nunc vero eadem fere repetita invenimus (IV. 32.—35.): „*καὶ οὐδὲ εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινά. Καὶ μεγάλῃ δυνάμει ἀπεδίδουν τὸ μαρτύριον οἱ ἀπόστολοι τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς· Οὐδὲ γὰρ ἐνδεής τις ὑπῆρχεν ἐν αὐτοῖς· ὅσοι γὰρ κτήτορες χωρίων ἢ οἰκιῶν ὑπῆρχον, πωλοῦντες ἔφερον τὰς τιμὰς τῶν πιπρασκομένων. Καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων· διεδίδοτο δὲ ἑκάστῳ, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν.*" Finitur autem, me iudice, haec narratio V. 11.; incipitque tam parum monito lectore nova quaedam, ut plerique interpretes rem ne animadverterint quidem, sed quae maxime inter se dissident, arcte cohaerere crediderint. Exorditur eam Lucas ab Apostolorum miraculis, fere ut II. 43. et summa apud omnes gratia et auctoritate, quae tanta fuit ut procerum Judaeorum summam invidiam excitarent. Simul igitur omnes in carcerem ducuntur, nec nisi Gamalielis consilio e vitae periculo servati, sed verberati redeunt, et ut coeperant, summa hilaritate in suscepto negotio pergunt. Qua in re iterum et narrationis concinnitas orbem suum conficiens ejusque a reliquis seiunctio elucet.

Transit Lucas ad Stephani historiam, quae non aliter composita, quam narrationes praecedentes, ita ut in ea prima cum extremis arctissime cohaereant, VI. 1. — VIII. 2., reliquis maiorem ambitum habet, simul vero legem illam in Evangelio non minus quam in Actis Apostolorum obviam, quam sibi in narrationibus

nectendis auctor scripsit libri, clarissime aperit. Duae res enim sunt, quae in hac Stephani nece animum advertunt, Christianorum expulsio ex urbe, et Sauli in eos saevitia, quarum altera quid ad Christi honorem propagandum effecerit, primo enarratur, *πάντες δὲ διεσπάρησαν κατὰ τὰς χώρας τῆς Ἰουδαίας καὶ Σαμαρείας πλὴν τῶν ἀποστόλων.* VIII. 1. — *Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες διῆλθον...* VIII. 4., altera ad Sauli conversionem referendam scriptorem duxit: *Σαῦλος δὲ ἐλυμαίνετο τὴν ἐκκλησίαν.* VIII. 3. *Ὁ δὲ Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς.* IX. 1. Quibus Lucas quum satisfecerit, pacem ecclesiae redditam praedicat simulque sibi viam ad sequentes narrationes munit. Ita igitur quasi filum orationis suae donec ad finem pervenerit ille deducit, ut ex ipso rerum nexu divinae ecclesiae gubernatio cognoscatur.

Nec aliter est conformata, quae de Cornelio inter Christianos recepto sequitur, narratio IX. 32.—XI. 18., in qua Jesu Christi deique providentia quam maxime celebratur; quae narratio ubi confecta est, iterum scriptor fere ad eadem verba redit, quae iam VIII. 4. legimus: *Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες ἀπὸ τῆς θλίψεως τῆς γενομένης ἐπὶ Στεφάνῳ διῆλθον,* eaque ratione suum in concinnandis his singulis orationibus artificium ostendit, quod ut est ex summo consilio deum celebrandi exortum, ita et simplicitate quadam excellit.

His explicatis qui et rei difficultates a Luca magna arte superatas et sacrae historiae indolem mirifice conservatam esse intelligit, scriptoris a laude se non continebit, qui summum quod eligi poterat argumentum suscepit munerique suo non sine maxima pietate et gravitate satisfecit. Cuius liber quod amissis aliis monumentis litterarum eodem tempore scriptis nobis servatus est, magnam ad laetitiam excitare nos debebit. Quamquam enim parvae molis est, ut pauca tantummodo complecti potuerit, plurima tamen, ut Erasmus recte monuit, nobiscum communicavit, sine quibus ecclesiae Christianae historiam nemo nostrum intelligeret.

Concedendum tamen est quod adversarii monuerunt, in Pauli epistolis multa reperiri cum ex huius viri summi vita, tum ex ecclesiae Christianae illorum temporum historia, quorum vestigia apud Lucam frustra quaerantur; sed qui propterea Lucam reprehendunt vel consilium, quo totum librum composuerit, inde coniectura assequi posse sibi videntur, non minus errant, quam si Paulum, quod in Epistolis, ubi vitae suae res nonnullas attigit, multa quae apud Lucam exstant, praetermisit, vituperaverint et occultum quendam finem detegere studeant, quem in epistolis scribendis secutus fuerit. Etenim longe quid aliud est, epistolas quam historiam scribere, et leges peculiares suae utrique huic negotio et normae ab altero diversissimae scriptae sunt. Accedit vero, quod vitam Pauli Apostoli in Actis Apostolorum Lucam enarrare nec potuisse nec voluisse constat, et talibus in rebus, quae in Pauli vita evenerint, ad unum omnia proferre, nullo ei modo aut necessarium fuerit aut licuerit.

Clarior autem haec res fieri poterit, si exemplum ex antiquarum litterarum historia petitum contulerimus.

Enarravit enim Thucydides bellum Peloponnesiacum, in quo, ut notum est, primum exemplum proponitur, qua ratione historiam scribi oporteat. Quo in libro, quae singulis annis facta sunt, diligentissime summaque referuntur cura, ita ut quaecunque ad res gestas intelligendas necessaria sunt ea omnia reperiantur. Jam vero si Aristophanis comoedias evolvimus et quae de rebus gestis poeta ille et de singulis hominibus quos irridet attigit, cum Thucydide comparamus, plura, quae comicus tamquam summi momenti et ponderis commemoravit et a quibus salutem aut perniciem civitatis repetiit, Thucydides prorsus intacta reliquit. Qua de re, qui de Aristophanis comoediis quaestiones instituunt, frustra saepe ad Thucydidem animum convertunt. Notum est, quanti momenti ea omnia sint, quae ad Mitylenaeos pertinent, quorum historiam accuratissime Thucydides nobis proposuit; sed ex Aristotele discimus earum rerum, quae ipsa in urbe Mitylenaeorum gesta sint, et ex quibus perspicua demum reddantur, quae in urbe illa sunt facta, quamquam ad enarrandam iucundissima et cognitu utilissima fuerint, tamen omnia a Thucydide praetermissa esse, cf. Haase, Lucubr. Thucyd. p. 24 sqq. Nec immerito. Nam qui bellum scribere suscepit, res bellicas non res urbanas componere debet. Hanc enim legem Thucydides sibi scripsit, ut neque quae Athenis aut Spartae aut aliis Graeciae in urbibus ad res domesticas magis quam ad publicas et bellicas pertinerent, intacta sineret. Quod si non fecisset et immensum librum confecisset totamque belli gerendi rationem obscuriorem quam clariorem reddidisset. Similis caussa ea est, de qua nunc agimus; Lucas enim, qui rei Christianae primordia tractavit, ex interna ecclesiarum historia singula quaeque historiae immiscere non debebat.

Schulnachrichten

von Michaelis 1854 bis Michaelis 1855.

A. Allgemeine Lehrverfassung des Gymnasiums.

Ober-Prima.

Ordinarius Professor Yxem.

Lateinisch. Im Winter: Cic. de offic. I. Im Sommer: Cic. Tuscul. I.; in beiden Halbjahren: Tac. hist. III. cet. Annal. I. 3 St. Häusliche Aufsätze, Klassenaufsätze, Exercitien und Extemporalien. 2 St. Grammatische Uebungen und Disputationen. 2 St. Professor Zumpt. In beiden Halbjahren: Satiren und Briefe des Horatius mit Auswahl; privatim: Oden von lib. III. 12 bis zu Ende und lib IV., dazu die früher gelernten Gedichte. 2 St. Prof. Bresemer.

Griechisch. In beiden Halbjahren: Thucyd. die Geschichte der Pentekontaetie und das zweite Buch. 3 St. Prof. Yxem. Sophokles Ajax und Oedipus Rex., Homers Ilias. 2 St. Ranke.

Hebräisch. In beiden Halbjahren wurden mit Unter-Prima vereinigt gelesen Psalm 1—30 und mehr cursorisch die Genesis. Ausgearbeitet wurden Commentare über einzelne Psalmen oder andere biblische Stellen. 2 St. Prof. Dr. Uhlemann.

Französisch. Im Winter: Le Misanthrope. Im Sommer: Einen Theil des Tartuffe von Molière. Exercitien und Extemporalien. 2 St. Dr. Strack.

Deutsch. In beiden Halbjahren: Grössere Abschnitte aus der neueren Literaturgeschichte. Uebungen im mündlichen Vortrage. Beurtheilung der Aufsätze. 3 St. Prof. Yxem.

Religion. Lectüre des Neuen Testaments in der Ursprache. Die Augsburgische Confession. Theile der christlichen Lehre. Repetition der früher gelernten Lieder. 2 St. Ranke.

Geschichte. Die neuere Geschichte von der Reformation bis zur Revolution. Repetition der übrigen Theile der Geschichte mit Benutzung der Tabellen von Hirsch. Repetition der Geographie von Spanien, Frankreich, Italien und England. 3 St. Dr. Foss.

Mathematik. Im Winter: Anwendung der Algebra auf Geometrie. 2 St. Mathematische Uebungen. 2 St. Im Sommer: Der binomische Lehrsatz und seine Anwendungen. 2 St. Mathematische Uebungen. 2 St. Prof. Schellbach.

Physik. Im Winter: Mechanik. 2 St. Im Sommer: Physik und Optik. 2 St. Schellbach.

Philosophische Propädeutik. In beiden Halbjahren: Logik, nach Trendelenburg's Leitfaden. 1 St. Prof. Yxem.

Zeichnen. Freies Handzeichnen nach Antiken und den besten Vorlegeblättern. Freiwillig theilnehmende Schüler aus Prima, Secunda und Tertia sind dazu vereinigt. 4 St. Maler F. Bellermann.

Unter-Prima.

Ordinarius Professor Zumpt.

Lateinisch. Im Winter: Cicero in Verr. libr. I. Im Sommer: Cicero in Verr. libr. IV.; in beiden Halbjahren: Tacit. Annal. V. und XI — XII. Dazu wurden privatim gelesen: Cic. in Catil. I — IV.; p. Rosc. Amer. de imp. Pomp., Tac. Germania und Agricola. 3 St. Häusliche Aufsätze, Klassenaufsätze, Exercitien und Extemporalien. Wiederholung der Syntax und stilistische Anleitung. 4 St. Zumpt. In beiden Halbjahren: Horat. carm. lib. I, III. 12 bis zu Ende, lib. IV. Epoden mit Auswahl. Wiederholung der Prosodie, Metrik. Auswendiglernen einzelner Gedichte. 2 St. Bresemer.

Griechisch. Im Winter: Demosth. Phil. I. Im Sommer: Olynth. I. und II. statarisch. 3 St. In beiden Halbjahren: Grammatische Uebungen. 1 St. Yxem. Homers Ilias Buch 1 — 12. 2 St. Zumpt.

Hebräisch. Mit Ober-Prima vereinigt.

Französisch. Im Winter: Le Misanthrope. Im Sommer: Einen Theil des Tartuffe von Molière. Exercitien und Extemporalien. 2 St. Strack.

Deutsch. In beiden Halbjahren: Geschichte der deutschen National-Literatur von den ersten Anfängen bis auf Opitz. Uebungen im mündlichen Vortrage. Beurtheilung der Aufsätze. 3 St. Yxem.

Religion. In beiden Halbjahren: Die Geschichte der christlichen Kirche vom Anfange bis zum Jahre 1555, mit besonderer Berücksichtigung der sich darin entwickelnden kirchlichen Dogmen. Nebenbei wurden die Hauptstücke wiederholt und Kirchenlieder auswendig gelernt. 2 St. Uhlemann.

Geschichte. Cf. Ober-Prima.

Mathematik. Im Winter: Trigonometrie. 2 St. Die Lehre von den Reihen. 2 St. Im Sommer: Stereometrie. 2 St. Mathematische Uebungen. 2 St. Schellbach.

Physik. Im Winter: Die Elemente der Astronomie. 2 St. Im Sommer: Electricität und Magnetismus. 2 St. Schellbach.

Zeichnen. S. Ober-Prima.

Ober-Secunda.

Ordinarius Professor Bresemer.

Lateinisch. In beiden Halbjahren: Cic. or. pro P. Sulla; Titi Livi lib. XXIV. c. 40 bis zu Ende und lib. XXV. Neben dem Cicero wurden die beiden ersten catilinarischen Reden privatim gelesen, neben dem Livius ein Theil des 24. Buches wiederholt. Einzelne Stellen

wurden auswendig gelernt. 4 St. Wiederholung der lat. Grammatik mit Rücksicht auf stilistische Anwendung; Exercitien, Extemporalien, mündliche Uebungen. 3 St. Bresemer. Tib. lib. I. Eleg. I. III; Prop. lib. IV. Eleg. IX. XI; Virg. Ecl. IV. Aen. VIII. I. II. III. IV. Gelernt ist: Tib. I 1—50, III 35—50. Virg. Aen. VIII 185—275. I 1—80. 2 St. Prof. Drogan.

Griechisch. In beiden Halbjahren: Homeri Odyss. XX—XXIV. und XII—XIV. Einige Stellen wurden auswendig gelernt. Im Winter: Xenoph. Memorab. Socr. lib. III. mit Auswahl. 2 St. Bresemer. Im Sommer: Herodoti hist. lib. V. mit Auswahl. 2 St. Dr. Stein. (Bresemer.) Wiederholung der Grammatik, Einübung der Lehre vom Gebrauch der Casus, Präpositionen, Genera Verbi, einiger Hauptregeln über den Gebrauch der Modi in Exercitien, Extemporalien, mündlichen Uebungen. 2 St. Bresemer. (Dr. Stein.)

Hebräisch. In beiden Halbjahren: Das Buch Josuah und das Buch der Richter nebst mündlichen und schriftlichen Uebersetzungsübungen aus dem Deutschen in das Hebräische. 2 St. Dr. Uhlemann.

Französisch. Im Winter: Andromaque, im Sommer: Bajazet von Racine. Exercitien und Extemporalien. 2 St. Dr. Strack.

Deutsch. Aufsätze. Vorträge; im Winter wurde dazu die Gudrun und der Cäsar, im Sommer das Nibelungenlied und die Anabasis benutzt. 2 St. Dr. Foss.

Religion. In beiden Halbjahren: Einleitung in die sämmtlichen A. und N. T. Schriften. Als häusliche Arbeiten ausgewählte Lieder und Wiederholung der Hauptstücke. 2 St. Dr. Uhlemann.

Geschichte. Im Wintersemester: Römische Geschichte von Erbauung der Stadt bis 146 v. Chr. Im Sommer: von 146 v. Chr. bis Diocletian. Geographische Repetitionen. 3 St. Dr. Foss.

Mathematik. In beiden Semestern: Ebene Trigonometrie. 2 St. Die Gleichungen der ersten beiden Grade mit einer und mit mehreren unbekannten Grössen, die arithmetischen und geometrischen Reihen, die Lehre von den Logarithmen. 2 St. Schellbach.

Physik. Im Winter: Die Elemente der unorganischen Chemie. 2 St. Im Sommer: Allgemeine Physik. 2 St. Schellbach.

Zeichnen. S. Ober-Prima.

Unter-Secunda.

Ordinarius Professor Drogan.

Lateinisch. In beiden Semestern: 1) Liv. VII cpp. 1—43, VIII cpp. 1—30, I cpp. 1—40; im je ersten Vierteljahr 4 St., im zweiten 1 St. 2) Virg. A. V 1—103, 545—871. VI. 236—755. VII; im je ersten Vierteljahr 1 St., im zweiten 4 St. 3) Grammatik Satzlehre, Exercitia und Extemporalia. 4 St. Memorirt: Liv. VII c. 30. Virg. A. V 45—71. VII 37—106. Zusammen 9 St. Drogan.

Griechisch. In beiden Semestern: 1) Hom. Od. VII 133—347. VIII IX X; im je ersten Vierteljahr 4 St., im zweiten 1 St. 2) Xen. Cyrop. II c. 2. VII cpp. 2 3 5; im je ersten Vierteljahre 1 St., im zweiten 4 St. 3) Grammatik Repetition der Declination und Conjugation. Exercitia, Extemporalia. 2 St. Memorirt: Hom. Od. VII 178—297. VIII 167—175. IX 252—341. Zusammen 7 St Drogan.

